SCHOLICA HYPOMNEMATA.

SCHOLICA HYPOMNEMATA.

SCRIPSIT

IOH. BAKIUS.

αἰσχρὸν σιωπᾷν —.

Vol. V.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD E. I. BRILL.

CIƆIƆCCCLXII.

PRAEFATIO.

Quod decem abhinc annis, quum edebam Quartum horum Scholicorum Hypomnematum Volumen, professus sum, restare mihi perficienda quae promisissem, potissimum autem retractanda ea, in quibus errasse me vel ipse animadvertissem, vel viri docti me admonuissent, huic vel officio vel consilio quod tam sero satisfacio, nolim quemquam tribuere neque desidiae, neque inopiae. Sed otii, quod mihi propter aetatem concedebatur, hic mihi fructus exstitit, ut, Cobeto meo morem gerens, quae ludens et oblectationem quaerens componerem, tradere potuerim in Mnemosyne identidem edenda. Cuius instituti quamquam

minime poenitet me, tamen decere et quodam modo postulari hoc mihi videbatur ut aliquando Hypomnematis meis honestum exitum compararem, nec tacitus desererem nec proderem illam operam, quam ante multos annos strenue et lubenter ingressus essem. Hinc natum est hoc postremum Volumen, partim destinatum corrigendis meliusque ornandis quae novissime edideram, partim nova quaedam complexum.

Non ignoro alia esse argumenta multo σπουδαιότερα, et laetiora et splendidiora, quae quis in diligenti Graecarum Romanarumque literarum studio versatus utiliter explicare possit, et eiusmodi operam in primis comparatam esse ad haec ipsa studia commendanda et celebranda. Tamen nondum defuturos spero qui minime contemnant tenue hoc disputandi genus quod ipse plerumque sequor, quum praesertim id operam dare soleam, ut, etiam quae minuta videantur, tum ad earum rerum scientiam definiendam conferam, quarum iudicium nostra aetas nostraque tempora haud temere sibi vindicant, tum ad pronuntiandi orationisque elegantiam regendam, quae una eru-

ditio omnium maxime decet humanitatem.

Quae in hoc Volumine secundis curis expolita sint pleniusque quam antea tractata, ipsi legentes reperient; tum addidi nova quaedam. Indicem quod adieci, feci, ut vere dicam, mea magis causa, quam quod suspicarer ita me aliorum exspectationi setisfacere, qui eum fortasse locupletiorem maluissent.

Si quis in meis offendet quae ab aliis ante me occupata sint, ego nemini hanc utilissimam diligentiam invideo, nec metuo ne quis ex iis qui me norint prodeat, qui mihi quemquam auctorem potius quam socium inveniendi fuisse obiiciat. Ut suum quisque tenet iter, ita ipse homo sum paucissimorum librorum, non sane quo reliquos superbe contemnam, sed hoc mihi attulit aetas ingravescens ut, mirifice delectari solitus veterum assidua consuetudine, non tam cupide requiram familiaritatem cum novissimo quoque contrahendam, et tamen gratus audiam qui me admoneat ignorantiam meam incommodo mihi detrimentoque fuisse.

Atque hoc institutum Hypomnematum

HOC VOLUMINE CONTINATUR.

I.

Observationes de Orationibus Catilinariis.

Quum in Academia Scientiarum demonstrabam Madvigium, quamvis acutis observationibus, nihil prorsus obtinere in dirimenda controversia de Orationibus Catilinariis, utrum verae essent, an mentirentur Ciceronis nomen, et quum alia frustra ab eo defendi, tum in primis in eo labi virum praestantissimum, quum doceret e diligentiore Codicum collatione ita emendari textum posse, ut omnia faciem et speciem vere Tullianam prae se ferrent; hoc contendebam, fracta et exclusa, quaecumque afferretur, externa auctoritate, totius rei iudicium pendere

1

ex accurata exploratione ipsius orationis, tam in singulis verbis loquendique formis, quam in sententiarum comprehensione. Itaque non nisi methodum disputandi, quae in hoc quaestionis genere servanda esset, tum attingebam, quo mihi aditum pararem ad eam demonstrationem, quam absolvere destinabam, in ipsa quoque Prima Catilinaria, de qua nemo hucusque palam dubitasset, ne unam quidem periodum indicari posse in qua non vel linguae ingenium verborumque proprietas iugularetur, vel perpetua Tulliani sermonis consuetudo turpiter negligeretur. Sed in illa, quae mihi cum Madvigio contentio erat, (quem ne opportunis quidem Mureti aut Ernestii — at quam admirabilis sagacitatis virorum! — dubitationibus de pertinacia deiectum esse miror vetustae et antiquae sententiae defendendae), locis tum nonnullis usus sum e tribus postremis Catilinariis, in quorum interpretatione prorsus caecutiisse mihi ille videretur. Nolo totam illam Commentationem, quam patrio sermone a me conscriptam ante biennium edidit Academia, iterum proferre, nec nisi praecipua capita inde excerpere operae pretium duco, quo melius reliqua intelligantur.

§ 1.

Bis Madvigius acerrime impugnavit eorum sententiam, qui contenderent et demonstrarent tres postremas Catilinarias non esse Ciceronis, primum in *Opusculis Academ.* I. p. 192 sqq. (a. 1834), tum in fine Praefationis ante 2dam Editionem *Orationum Selectarum*. Reliquis omissis nunc ea tantum asserere lubet, quae ad singulorum quorumdam locorum interpretationem pertinent.

Ciceroni vindicari tres postremas Catilinarias ipsius oratoris auctoritate, propter notissimum locum ad Att. II. 1. 3, contendit Madvigius contra Orellium, qui in Volumine *Selectarum Orationum* (a. 1836) non sane ineptis argumentis, sed tamen satis audacter, coniecerat totum illum locum, qui continetur § 3, ab eodem falsario inculcatum esse qui tres Catilinarias composuisset. Fac autem Ciceronem ista ad Atticum scripsisse: nihil tamen aliud obtinebitur, nisi et scripsisse eum et edidisse tum quas in Catilinam habuisset orationes, nullo modo eas esse quibus nunc utamur. Sed praeter ea quae Orellium movebant ut ita coniiceret, sunt alia, quae minime tollant dubitationem. Verbi causa, in illa enumeratione orationum consu-

larium duae omittuntur, pro C. Pisone, et pro Murena: tamen utrumque iudicium a Cicerone commemoratur Flacc. § 98. Accedit, quod nemo quidquam desideraturus est, si § 4 statim subiicitur verbis *te etiam delectant*. Sed in illis ipsis verbis, quum dicitur *ea, quae nos scribimus adolescentulorum studiis excitati, te etiam delectant*, molestum est pron. *nos*, quum opponantur inter se *adolescentuli* et *tu*; corrigendumque videtur *quae conscribimus*. In postrema autem parte totius loci videbatur mihi corrigendum esse, *et quoniam te tam* (pro *quum*) *scripta*, *quam* (pro *tum*) *res meae delectant*. Nunc otiosam esse correctionem existimo propter ea his adiecta, quae putida et paene puerilia sunt, *perspicies quae gesserim*, quasi biennio post Ciceronis consulatum ea incognita essent Attico; et, *ne poposcisses, ego enim me tibi non offerebam*, in quibus *offerre se* in re alienissima dicitur.

In conferendo loco Philipp. II. § 119, (ubi haec exstant: *etenim si abhinc annos prope viginti hoc ipso in templo negavi posse mortem immaturam esse consulari, quanto verius nunc negabo seni!*) cum his ex Catilin. IV. § 3: *nam primum debeo sperare, omnes deos, qui huic urbi praesident, pro eo mihi ac mereor re-*

laturos esse gratiam; deinde, si quid obtigerit, aequo animo paratoque moriar. Nam neque turpis mors forti viro potest accidere, neque immatura consulari, nec misera sapienti: — in his igitur inter se conferendis quum viri docti soliti essent ita interpretari, ut, quod ad Antonium dixisset Cicero, vindicaret alterum ab eo in Catilinaria causa dictum esse, demonstraretque illam orationem vere Ciceronis esse, occurrebat Ahrensius, si a Consule Cicerone ea dicta fuissent, in Philippica II non debuisse dici *annos prope viginti*, sed *annos viginti.* Non assentitur Madvigius, qui alteram computandi annorum intervalli rationem defendit. Equidem non necessario utendum esse illo argumento existimo: quodque Dio Cassius Ciceronem dicentem facit, se hoc consulem dixisse, vel si ex incerta fama fluxisse potest, tamen damnat illud *consulari.* Hoc tamen ita mordicus retinet Madvigius, ut dicat, » Ciceronem et illo, et aliis locis illa pericula significare, quae sibi post consulatum proposita essent; igitur rectissime eum *consularis* viri mortem commemorare." Sed qui reputaverit, id quod historia illorum temporum abunde docet, per illum consulatus annum Ciceronem aliquoties insidiis petitum esse, e quibus vix

evaserit, tum in ipso initio IV^tae^ Catilinariae non de futuro, sed de praesenti vitae periculo agi, neque aliud agi potuisse, is necessario confitebitur in primis absurde isto loco *consularis* viri mortem appellari. Sed ne in reliquis quidem quidquam sincerum aut prudenter cogitatum prodit. Iam ipsa quae praecedunt, *mihi parcere — desinite*, nullo modo referunt id quod quis exspectet, *nolite de me solliciti esse:* quis umquam *parcere cui* ita dixit? Tum prorsus absonum est *debeo sperare.* Quid autem sperat? Primum, *pro eo ac meretur deos sibi gratiam relaturos.* Quam gratiam? Ex oppositione (*deinde, si quid obtigerit* —) efficiendum, deos ita gratiam relaturos, ut eum incolumem servent: sic enim probabitur, Ciceronem cogitasse de gratia quae sibi post mortem referenda esset. Ita id quod subiicitur, (*deinde* —) explicandum erit quasi dicat, *si tamen dii gratiam mihi non referant*, *aequo animo moriar*, i. e, patiar interitum meum. Nescio quid aliis, mihi ista supra omnem modum ridicula videntur. Praeterea qui ista composuit, caudam satis inficetam adiecit. Quum enim in Philippica opportune *immatura* mors appellata esset, eo non contentus amplificare studuit: sed non attendit, quamquam recte

turpis vita honestae morti opponi soleat, ipsam mortem dici non posse neque *turpem*, neque *miseram*, multumque diversum esse quum in disputatione dicitur (ut in Tusc. I) *mors et malum et ideo miserum est*: quodque in generali disputatione probandum esset, dedecet Consulem, ut se et *fortem virum*, et *sapientem* esse profiteatur. In eadem sententia enuntianda non incidit, tredecim annis ante, Cicero in tam ineptam arrogantiam, quum in Sestiana § 48 dicit, *mortem — ego vir consularis, tantis rebus gestis, timerem?* Madvigium monere poterant prudentes Mureti de hoc loco dubitationes.

Qui IV^tam Catilinariam spuriam esse iudicant, utuntur loco luculento ad Att. XII. 21, ex quo demonstrant Ciceronem nullam in illo senatu sententiam dixisse post Silanum et Caesarem. Verba haec sunt: (Brutus) *Catonem primum sententiam putat de animadversione dixisse: quam omnes ante dixerant praeter Caesarem. — Cur ergo in sententiam Catonis* (factum est Senatus consultum?) *quia verbis luculentioribus et pluribus rem eandem comprehenderat. Me autem hic* (Brutus) *laudat quod retulerim, non quod patefecerim, quod cohortatus sim, quod denique ante, quam*

consulerem, ipse iudicaverim: quae omnia quia Cato laudibus extulerat in coelum perscribendaque censuerat, idcirco in eius sententiam est facta discessio. Haec ita interpretatur Madvigius, ut illa *quod patefecerim, quod cohortatus sim* referat ad orationem hanc, quae post Silani et Caesaris orationes dicta esset, *quod ipse iudicaverim* de »animi sententia ipso relationis genere declara»ta" accipiat. Non admittenda est haec interpretatio, quae divellit ea quae arctissime a Cicerone iunguntur: ipsumque illud *denique*, i. e. uno verbo ut dicam, ostendit eum simul omnia illa fecisse quum referret ad Senatum, patefaciendo, cohortando, iudicando i. e. sua sententia explicanda, antequam consuleret, i. e. Senatorum sententias rogaret. Atque haec erant illa *omnia quae Cato laudibus extulerat in coelum perscribendaque censuerat*, id quod Salustius Catilin. 52. 36 commemorare neglexit. Tum quis putet quidquam ad Senatorum animos confirmandos post illam Catonis sententiam adiici potuisse per illam Quartam Orationem, in qua nulla certa sententia explicetur? Cf. § 24.

In eadem Oratione § 13 quatuor vitiose dicta notabantur ab Ahrensio, in his verbis: *vereamini, censeo, ne in hoc scelere tam immani*

ac nefando nimis aliquid severius statuisse videamini. Primum reprehendit *vereamini*, tum *censeo*, deinde *nefandus*, postremo *nefando nimis*, quod oportuisse *nimis nefando.* Quae contra disputat Madvigius (Opusc. Acad. II, p. 348) de *vereamini censeo*, obscuritate laborant, fortasse ex operarum vitio. Quidquid sit, satis apparere credo pravam illam loquendi formam scriptorem et a Salustio sumsisse (Catilin. 52. 26), nec ipsum intellexisse verbum *censeo*, ex perpetuo usu Ciceronis, non nisi cum Infinitivo futuri, aut cum Gerundio iungi posse eius verbi, quo actio quaedam indicetur, non animi quidam motus, ut in *vereri* et in *misereri.* Tum, si ironiae locus esset, dixisset bonus auctor Latinitatis *verendum est, credo:* ut statim post recte subiicit, *multo magis est verendum.* Adiectivum *nefandus* recte ut Ciceronianum tuetur Madvigius: sed ex illo loco Milon. § 72 (*nefandum adulterium*) conficere eum oportebat, non dici nisi in eo flagitio, quo naturae ius et sanctitas violetur, nec convenire coniuratorum illorum audaciae: post Ciceronis aetatem abusi sunt illo nomine et poetae et scriptores. *Nimis nefando*, quod Ahrensius malebat, sane propemodum ridiculum est; rectiusque Madvigius sensit *nimis* interpretamenti

loco ad *severius* ascriptum esse: poterat quoque corrigi *severe*, si operae pretium esset.

Qui tam attente ista consideraverunt, mirum est eosdem nihil in quo offenderent reperisse in his, quae illis statim subiiciuntur: *multo magis est verendum, ne remissione poenae crudeles in patriam, quam ne severitate animadversionis vehementes — videamur.* Rectissime *remissum esse*, et vel *severum*, vel *vehementem*, vel *nimis diligentem*, inter se opponuntur; sed in eandem oppositionis formam non erant includenda synonyma, *poena*, et *animadversio*. Praeterea neutrum per se recte dicitur, nec *remissio poenae*, nec *severitas animadversionis*. *Remissio* obiecti Genitivum si habet, is est eius nominis quo indicetur actio quam quis in sua potestate habeat, quamque, prout lubet, vel contendere, vel remittere possit, quemadmodum in oratore *vocis* et *contentiones* et *remissiones* laudantur: sed nec poena, nec plaga, nec ictus admittit *remissionem*, quam perperam Ernestus in Clavi ex hoc loco interpretatur *lenitatem.* Tum *severitas* non est ipsius poenae aut *animadversionis*, sed animi eius qui iudicat: itaque recte Orat. II. § 72, de iudice, *tum ad severitatem, tum ad remissionem animi*

contorquendus est. Conf. Brut. § 322: eodemque modo *severitas iudiciorum* accipienda. Nihil attinet monere a Vatinio, in Ep. ad Div. V. 10. 2, longe aliter dici *animadversionem ac supplicium remitto tibi.*

De alio loco eiusdem IV^{tae} Orationis § 24 disputat Madvigius Opusc. Acad. I. p. 156 sqq. Verba haec sunt: '*quod si meam spem vis improborum fefellerit atque superaverit, commendo vobis parvum meum filium, cui profecto satis erit praesidii non solum ad salutem, verum etiam ad dignitatem, si eius, qui haec omnia suo solius periculo conservarit, illum filium esse memineritis. Quapropter de summa salute vestra populique Romani, [patres conscripti] de vestris coniugibus ac liberis, de aris ac focis, de fanis ac templis, de totius urbis tectis ac sedibus, de imperio et libertate, de salute Italiae, de universa re publica decernite diligenter, ut instituistis, et fortiter. Habetis enim consulem, qui et parere vestris decretis non dubitet, et ea, quae statueritis, quoad vivet, defendere et per se ipsum praestare possit.* Nihil est in his quod Madvigium offendat, praeter postremum verbum *possit*, quod ei, post Heumannum, delendum

videtur: itaque ut *parere*, ita *praestare* suspendit ab illis *qui non dubitet:* tum recte interpretatur quid ex Ciceronis Latinitate sit *praestare*. Sed oportebat virum praestantissimum cognitum habere ex assiduo usu orationis Tullianae (neque enim de Nepote, aut Livio, aut Curtio loquor), illud *non dubito* non alium adsciscere Infinitivum, qui eiusdem subiecti sit, nisi Praesentis, et eiusmodi verbi quo una et simplex actio indicetur, Futuri Infinitivum non nisi si is ad aliud subiectum referatur. Nihil eius generis monetur neque in Zumptii Grammatica § 541, neque in Madvigii § 416. Quid h. l. orator enuntiare voluit? Nihil nisi hoc, *quidquid vos statueritis*, *parebo*, *et praestabo:* hoc autem neque illo modo ornare licebat, *non dubito parere;* neque hoc, *non dubito me pariturum esse:* poterat per grammaticam, (quamquam ipsa sententia inepta esset), *non dubito affirmare*, *polliceri*, *me pariturum esse*, aut *non dubitabo parere*, si tamen eiusmodi affirmatio ferri ullo modo poterat. *Non dubito parere* non nisi is dicit, cui certum quid statim perficiendum imponitur.

Omitto *parere decretis*, quod improprie de Consule dicitur. Sed, quamquam concedo Madvigio, »*praestare* plus esse quam *defendere*,"

prorsus mirifice addi puto ab eo, »augeturque »adiecto *per se ipsum.*" Non sensit, primum, illud *praestare* neque augeri, neque minui posse; tum, si *per se ipsum praestare* quis dicatur, cogitandum quoque esse de eo, qui *per alium praestat*, quo nihil magis absurdum. In eo quoque erravit Madvigius, quod idem verbum eodem modo positum affirmat in Pison. § 80, ubi explicantur quae Pompeius Ciceronis causa suscepisset, in quibus defendit hanc lectionem, *quum — senatus sententiam praestaret.* Sed nihil erat istic *praestandum* eo sensu, quo Madvigius defendit. Iteratur quod § 35 dictum erat, *de me senatus ita decrevit Cn. Pompeio auctore et eius sententiae principe —*: itaque servandum est *quum — senatui sententiam praestaret*, suam scilicet quam Senatus amplecteretur. Ut alia complura omittamus, hoc tamen notandum est, perperam, inani quodam variandi consilio, *decernendi* et *statuendi* verba promiscue usurpari. *Statuere* enim (ut *censere* et *iudicare*) de singulorum sententia dici solet, de senatusconsultis non nisi *decernere:* conf. Sest. § 128 sq. Philipp. IV. § 8.

Non dimittenda sine animadversione sunt reliqua eiusdem loci. Quid attinebat *parvum*

filium commendare patribus conscriptis, qui tum vix unum annum expleverat? Conf. ad Att. I. 2. 1. Novimus talis commendationis exempla in causarum capitalium defensionibus: conf. Orat. I. § 228. Sest. § 144. Verr. I. § 151. Coel. fin. Qui ista scripsit meminerat fortasse horum, Sest. § 54, *liberi ad necem quaerebantur.* Tum, etiamsi probentur *satis erit ei praesidii ad salutem*, non ferendum est alterum, *ad dignitatem*, quippe dignitatem nemo *praesidio* consequitur, et nemo eandem cogitabat in parvulo. Maiorem etiam inscitiam Latinitatis produnt haec, quae praecedunt, *si meam spem vis improborum fefellerit atque superaverit.* Necessario enim talis inde conficienda est sententia, si vis improborum non id, aut etiam si plus quam quod spero perfecerit: perquam ridicule. Quo modo istud *fallere* ponatur, docent innumerabiles loci, veluti Verr. I. § 19. V. §. 173, Leg. Agrar. II. § 90.

In iis quae sequuntur orator adhortatur Senatum ut fortiter decernat: quae tamen quum inchoat a coniunctione *quapropter*, non apparet huius coniunctionis ratio. Sed in ipsa adhortatione ea forma oratoria desideratur, quam et ratio postulabat, et Cicero usurpare solet, ex qua, verbi causa, hoc dicendum fuerat,

»fortiter decernite de coniuratorum animadver-»sione, nam non tantum de illis, sed de salu-»te pop. Romani decernetis.'' Sic loquitur Cicero, ut alia exempla taceam, Verr. I. § 6, Rabir-Perd. § 2. Milon. § 3.

De summa salute vestra quod dicitur, vitiosum est propter adiectivum *summa*, quoniam *salutis* nomen nullum admittit eiusmodi adiectivum; nisi forte quis putet dici posse *summum interitum*, aut *summam vitam*, et *summam mortem*: *summum bonum* dicitur. Itaque Verr. I. § 4, ubi edi constanter solet, *neque enim salus ulla rei publicae maior hoc tempore reperiri potest*, tota istius exordii argumentatio fere demonstrat corrigendum esse *laus ulla*, cui multo melius quam *saluti* convenit illud *rem publicam posse defendi.* Nihil dicam de ambitiosa cumulatione eorum quae sequuntur; nec sane attinebat, quod Beierus fecit ad Offic. II. § 33 fin., ordinem enumerationis ex hoc auctore firmare: sed *decernere de salute*, deque reliquis illis omnibus, ita improprie dicitur, ut ne audacissima quidem figura defendi possit: *decerni* de coniuratis tantum poterat. Postremo, *fortiter decernere* ut recte dicitur, quo significatur animus eorum qui decernunt, et *gravissime ornatissimeque* decernere (ad

Att. I. 16. 5), quo decreti forma indicatur, ita quid sit *diligenter decernere* prorsus non intelligo.

In alio quoque loco, Catilin. III. § 26, quem Madvigius non strictim et leviter, sed dedita opera tractat Opusc. Acad. I. p. 190 sqq., acutissimi viri desideravi sentiendi et iudicandi prudentiam. Locus hic est, ex ipsius recensione: *quibus pro tantis rebus, Quirites, nullum ego a vobis praemium virtutis, nullum insigne honoris, nullum monumentum laudis postulabo praeterquam huius diei memoriam sempiternam. In animis ego vestris omnes triumphos meos, omnia ornamenta honoris, monumenta gloriae, laudis insignia condi et collocari volo. Nihil me mutum potest delectare, nihil tacitum, nihil denique eiusmodi, quod etiam minus digni assequi possint. Memoria vestra, Quirites, nostrae res alentur, sermonibus crescent, literarum monumentis inveterascent et corroborabuntur: eandemque diem intelligo, quam spero aeternam fore, propagatam esse et ad salutem urbis et ad memoriam consulatus mei, unoque tempore in hac re publica duos cives exstitisse, quorum alter fines vestri imperii non terrae, sed coeli regionibus*

terminaret, alter eiusdem imperii domicilium sedemque servaret.

Haec dum iterum describo, mirari subit quo modo quis, etiamsi omnia recte Latine dicta essent, tam futilem, tam inanem, tam ambitiosam verborum cumulationem, tam plenam iactantiae et vanitatis, sine fastidio devorare possit. In priore parte nihil offendisse videtur Madvigium, quaeque diversa ab illa lectione e Codd. afferuntur, nihili sunt: sed diligentius attendit vir praestantissimus ad reliqua, inde a verbis *eandemque diem*. Igitur nihil repugno quod auctoritate duorum librorum locum illum sic constituit, quum antea legeretur *aeternam fore, et ad salutem urbis et ad memoriam consulatus mei propagatam, unoque tempore* cet., in quibus nullam syntaxin agnoscere potuerat Ernestus: sed quum affirmat ita priore parte periodi rectam sententiam contineri, quam scilicet Muretus iam et Garatonius exposuissent, id nullo modo probare possum. Quo modo enim ipse interpretatur? »Hoc »dicit, quum longam diem, sua quidem spe »aeternam, urbis saluti propagaverit, eandem »se aeternitatem memoriae consulatus sui conci»liasse, non interiturae, dum stet urbs." In hac paraphrasi eadem verborum obscuritate uti-

tur, propter quam ea ipsa quae interpretatur reprehendenda erant. Quid enim est *diem propagare?* *Dies*, inquit Muretus, hic idem valet, quod *tempus:* sit ita: sed quid est *tempus propagare?* Siquidem *propagare*, illo figurato sensu, est efficere ut diutius, per longum tempus, duret, ut *stirpem*, *vitam propagare:* sed *tempus* ipsum *propagare*, quis cogitare potest, praeter illum Orationum illarum scriptorem, qui Catilin. II. § 11 scripserat, *meus consulatus — multa secula propagarit rei publicae?* Cicero ipse, Sest. § 102, *haec* (nempe facta clarissimorum civium, eorumque memoria) *fama celebrantur*, *monumentis annalium mandantur*, *posteritati propagantur:* in quibus apte Dativus iungitur cum illo verbo, inepte contra in illis locis, ut *propagare* valeret idem quod *conciliare.* Si tamen quis concedere velit Madvigio eam interpretationum quam commendat, quid ineptius quam haec, *spero eam diem sempiternam fore*, *et intelligo eam propagatam esse?* Quod autem additur, *ad salutem urbis* (Cicero saltem dixisset *huius urbis*, ut Sull. § 23), in eo *salus* ita ponitur, quasi diceretur de continuato otio et prosperitate, contra perpetuum Latinitatis usum, per quem *salus* in cuiusvis peri-

culi aut discriminis liberatione ponitur, et ad illud tempus restringitur. Tum, *ad memoriam consulatus mei*, ex antecedd. sic explenda erunt: »intelligo eam diem propagatam esse ad memo»riam consulatus mei," id est, ut ita ea memoria exsistat et obtineatur.

In postremis recte vidit Madvigius sententiam laborare. »Cicero, inquit, non *intelligit* se et »Pompeium exstitisse." Igitur excidisse quaedam coniicit, locumque sic scriptum fuisse, *omnique tempore [hoc praedicatum iri, simul] in hac re publica* —.

Poteram, si opus esset, demonstrare *omni tempore* non esse idem quod *perpetuo*, aut *diutissime.* Sed non attendit Madvigius, si futura praedici, praevideri possunt, non tamen posse *intelligi.* Neque hoc omittendum est, quae, ut h. l., *eidem diei* tribuuntur, in hac orationis forma necessario eiusmodi esse oportere, ut eorum coniunctio praeter exspectationem sit: hic autem *salus urbis* et Ciceronis *consulatus* tam arcte inter se cohaerent, ut disiunctio etiam (*et* — *et*) vitiosa sit. In Sest. § 53 dicitur, *illo ipso die* — *mihi reique publicae pernicies, Gabinio et Pisoni provincia rogata est.*

Ridicula hyperbole est, quum de Pompeio

dicitur, eum *fines imperii non terrae, sed coeli regionibus terminasse.* Equidem nullas novi *coeli regiones*, nisi in disciplina augurali. Sed declamator de industria exaggerare studuit id, quod de Pompeio Cicero ipse ornate sane, sed non improprie dixerat Sest. § 67. Balb. § 9 et 13. Praeterea demonstravi in hac comparatione Ciceronis cum Pompeii rebus gestis anachronismum, quem vocant, deprehendi. Nondum Romam perlatae tum fuisse videntur literae publicae quas Pompeius ad Senatum miserat de bello Mithridatico penitus confecto, sicut conficiendum est ex ad Div. V. 7, scripta ad Pompeium a Cicerone, anno post consulatnm. Confirmatur hoc ex Orat. de Prov. Cons. §. 27, modo vitiosa librorum lectio corrigatur. Agitur ibi de plurium, quam fieri solebat in aliis, dierum supplicatione Caesari decernenda: *in quo*, inquit, *ego, quo consule referente primum decem dierum supplicatio decreta Cn. Pompeio, Mithridate interfecto confectoque Mithridatico bello, et cuius sententia primum duplicata est supplicatio consularis: mihi enim estis assensi, quum, eiusdem Pompeii literis recitatis, confectis omnibus maritimis terrestribusque bellis, supplicationem duodecim dierum decrevistis —.* Quando-

quidem *referre* consulis est, *sententia* autem senatoris, duo diversa tempora ita melius distinguentur, — *duplicata est supplicatio: consulari enim mihi estis assensi* —, i. e. anno post consulatum: tollitur hoc modo *supplicatio consularis*, quam nemo novit.

Accedit, quod istius sibi honorificae comparationis Cicero ipse auctoritatem tribuit postea Pompeio, quum is e Syria is Italiam rediisset: conf. Offic. I § 78. Philipp. II. § 12: et futilis est coniectura nescio cuius Scholiastae, quam tamen Beierus satis inconsiderate ad illum Officiorum locum probavit, Pompeii iam absentis animum offensum fuisse in Ciceronem, quod ea legisset, quae in III^{tia} et IV^{ta} Catilinaria edita essent, quae tertio demum post consulatum anno ad Atticum missae sunt, si illi loco fides habenda est.

Reliquam in illa Commentatione disputationem eo referebam, ut ostenderem quam nullius pretii esset auctoritas vel Asconii Pediani, vel Quinctiliani. Haec tamen insigni cum fiducia usurpatur a multis, qui ita exsultant et triumphant talibus praesidiis stipati, ut omnem controversiam, quae moveatur, profligatam esse putent. Nunc autem continere me malo intra orationis ipsius et Latinitatis explorationem, et

animi causa unum alterumque eorum, quae tum digito tantum monstrabam, enucleatius exponere lubet, ut appareat quam segniter connivere soleant multi in excutiendiis iis quae perfectis scriptoribus quasi per traditionem assignantur.

§ 2.

Veluti in his, Catilin. III. § 26: *quibus pro tantis rebus, Quirites, nullum ego a vobis praemium virtutis, nullum insigne honoris, nullum monumentum laudis postulo, praeterquam huius diei memoriam sempiternam*, postrema quam inepte dicerentur, tum exposui: sed videamus singula inde ab initio. *Quae tantae res* Latinum est: sed in praepositionis anastrophe statim huic substantivum subiici oportere, non interposito adiectivo, et ratio monet, et, nisi me omnia fallunt, nullo contrario exemplo evertitur. Si eiusmodi αὔξησις requireretur, dicendum fuisset *quibus pro rebus tantis ac tam admirabilibus*. — Praeterea ferri non potest in Cicerone, ut *res* simpl. dicatur pro *res gestae*, quas tamen hic intelligendas esse constat: quamquam de historia *res* dicuntur, sed addito pronomine, ut *res nostrae*, ad Div. V. 12. 1, et in Bruto § 262. Cae-

sar dicitur commentarios scripsisse *rerum suarum*, et *res populi Romani* apud Livium, et *res gestas meas* appellat Sull. § 27 et 67 et 83. Sed ne *tantas* quidem appellare eas res hominis est non stolide arrogantis: modestius certe ipse Cicero in Epistola ad Pompeium, ad Div. V. 7. 3, *res eas gessi* cet. — Porro, si recte dicitur *praemium postulare pro rebus gestis*, ut *pro pietate* Tuss. I. § 113, inepte tautologum est si additur *praemium virtutis*, quo uno defungitur v. c. ad Div. X. 13. 1. Cf. Orat. II. § 347. Sed consulere voluisse videtur huius Orationis scriptor concinnitati: sequitur enim, *insigne honoris*, *monumentum laudis:* de quorum utroque nunc dicamus. Primum, *insigne* quum sit signum externum quo quid illustratur et ornatur, quod sine eo minus conspicuum esset, recte quidem tum *dignitati* aut *potentiae* conceditur, sicut in fascibus et securibus, ad Quint. fr. I. 1. 13, tum *summo imperio*, ut Sest. § 17. Sic ad Plancum scribens, appellat tum *splendoris*, tum *gloriae insignia*, ad Div. X. 12. 5 et 13. 2. Quid igitur reprehendendum in eo, quod dicitur *insigne honoris?* Adscribam locum e Sullana § 26, opportune cum illo conferendum: *ego, tantis a me beneficiis in re publica positis, si nul-*

lum aliud mihi praemium a Senatu populoque Romano, nisi honestum otium postularem, quis non concederet? Sibi haberent honores, sibi imperia, sibi provincias, sibi triumphos, sibi alia praeclarae laudis insignia: mihi liceret eius urbis, quam conservassem, conspectu, tranquillo et quieto animo frui! Quid? si hoc non postulo, — si me non modo rerum gestarum vacatio, sed neque honoris, neque aetatis excusatio vindicat a labore cet. In his primum *tanta* beneficia appellantur propter moderationem praemii quod postulabat; sicut iure suo gloriari poterat ad Quint. fr. scribens I. 1. § 45. Tum, *beneficiorum* facta mentione, simpliciter appellat *praemium*, nullo adiecto Genitivo. *Insignia laudis*, i. e. virtutis, ea dicuntur, quae praemii loco a Senatu aut populo decernuntur. Sed *insigne honoris* nihil aliud est nisi id, quod necessario et ex lege et instituto cum ipso honore coniunctum est, itaque non opus erat a populo postulare. Apparet hoc ex alio loco Sullanae § 88: *omnia haec amissa sunt; omnia generis, nominis, honoris insignia atque ornamenta unius iudicii calamitate occiderunt:* amiserat haec Sulla iudicio ambitus damnatus, atque ea antea praemii loco obtinue-

rat: conf. ibid. § 50; eodemque modo *ornamenta* dicuntur ibid. § 81. In Cicerone igitur *insigne honoris*, aut melius *insignia h.*, tum nihil aliud erant nisi ea ornamenta quae cum consularis viri dignitate per se coniuncta erant, quaeque ideo nullo modo *postulare a populo* cogitare poterat. *Monumentum laudis* per se quidem recte dicitur: sed, primum, quum *laus* h. l. eadem sit quae *virtus*, putida eius fit mentio post *praemium virtutis:* tum, alio modo inter se permutantur *insignia* et *monumenta*, Invent. II. § 70, in primis Pison. § 92, quam in his, quae isto Catilinariae loco subiiciuntur, *in animis ego vestris omnes triumphos meos, omnia ornamenta honoris, monumenta gloriae, laudis insignia condi et collocari volo.* Si quis putet scriptorem *monumentum* appellasse quod literis constaret, verbi causa aliquo honorifico decreto Senatus, qualia commemorantur Sull. § 85, conf. in primis Sest. § 129 (nam a populo huiusmodi quid exspectare non licebat), respuunt eam interpretationem ea quae sequuntur, *nihil me mutum potest delectare, nihil tacitum* (quorum etiam adiectivorum prorsus nova et sine ratione coniunctio est;) et quamquam per figuram dicebatur *legem esse mutum magistratum*, Legg.

III. § 2, tamen *literarum monumenta* minime omnium *muta* habebantur, ideoque ad Lucceium scribens Cicero, septem post consulatum annis, ad Div. V. 12. 1. *cupio*, inquit, *res nostras monumentis commendari tuis*, additque § 9, *ut nosmet ipsi vivi gloriola nostra perfruamur*. Quale igitur *monumentum laudis* a populo Romano vel exspectare, vel postulare poterat Cicero? aut quomodo quodvis *monumentum* seiungi poterat a *sempiterna memoria*, quum et saepe alia, et in Sest. § 27. Senatus decretum vestis mutandae dicat sibi esse *ad posteritatis memoriam gloriosum?*

Donec mihi quis demonstraverit ista omnia et prudenter cogitata, et sana ac diligenti oratione propriisque verbis enuntiata esse, tuebor sententiam meam talia a Cicerone proficisci nullo modo potuisse, sed ab aliquo, qui eius volumina, ut fit, pervolutasset, indeque verborum turbam retinuisset qua sine delectu uteretur, ignarus quo fundamento niterentur admirabiles illae sermonis Tulliani virtutes.

Nihil attinet delectum facere: sunt cuncta eiusdem generis, et ex eadem inscitia verique sermonis ignorantia profecta. Forte incido in Orationis Tertiae § 3, ubi narrare instituit Orator ea, quae modo in Senatu exposuisset. *Prin-*

cipio, inquit, *ut Catilina paucis ante diebus erupit ex urbe*, — *semper vigilavi et providi*, *quemadmodum* — *salvi esse possemus*. In *paucorum dierum* intervallo manifestum est per insignem abusum usurpari adv. *semper:* nec minus ridiculum, quod paullo post in eadem re dicitur § 4, *in eo omnes dies noctesque consumsi*. Quanto aptius Muren. § 78, *totos dies atque noctes de re publica cogitare*. Quis autem hoc probare potest, ut Catilina dicatur *erupisse ex urbe?* quo eodem verbo perquam ridicule utitur in principio Secundae Orationis. Constat enim (neque opus est exemplis) ea *erumpere* dici, vel quae vi retinebantur quo minus prodirent, vel mala quae hucusque latuissent. Quid igitur hoc est, in Muren § 51 de Catilina, *tum erupit e Senatu?* Ideo scilicet recte dictum, quod Cicero addit eum *omnino vivum illinc exire non oportuisse*. Quo verbo in ea re utendum esset, nosse poterat scriptor e Sull. § 17: *eiecto sive emisso iam ex urbe Catilina*, (quod quamquam inscite secutus est scriptor Catilin. II. 1 et 15). Pison. § 5. *Catilinam* — *egredi ex urbe iussi*. Philipp. XIV. § 14. *Catilinam* — *sustuli*, *everti*, *afflixi:* Flacc. § 5 de se, *qui Catilinam ex urbe expulit*. Tam igitur im-

proprium est si dicitur Catilinam *erupisse ex urbe*, quem consul nullo modo retinere studebat, quam quum in I[a] Catilin. § 30 *se eiicere* dicitur, quod quo sensu proprie dicatur novimus ex Coel. § 75. Nec latebat scriptorem proprium verbum, qui I[a] Catilin. § 27 dixerit *emissus ex urbe* Sed, quod in multis aliis animadvertere licet, ut verbis quibusdam stolide delectetur, eaque ubique inculcet, ita hoc eodem verbo *erumpendi* inscite utitur ibid. § 27.

Sed progredi non licet nisi hoc eventu, ut ubique in luto et sordibus stupidae ignorantiae pes haereat. Sequitur enim hoc: *quum sceleris sui socios, huiusce nefarii belli acerrimos duces Romae reliquisset.* Post *sceleris* imperite inculcatum est pronomen. Quam saepe haec, *scelus*, *furor*, *audacia*, *coniuratio*, in harum rerum historia dicantur, cognitum est, sed erant ea omnium sociorum, non propria unius, itaque *societas sceleris*, (non *Catilinae sceleris*) intelligenda Sull. § 16 et 52, et rectius Catilin. I. § 8 *eiusdem amentiae scelerisque socii.* Sed, ubi nulla facta sociorum et coniuratorum mentione de uno Catilina sermo est, recte pronomen additur, ut Muren. § 83: *petunt illius rationes — ut minuatur contra suum furorem imperatorum copia:*

et concedi potest *furor tuus* in I^a Catilin. init. et § 15. — Porro non dicam nunc ridicule omnes istos, quos Catilina socios sceleris Romae reliquisset, *belli duces* appellari, sed *acerrimos duces* appellari non patitur Latinitas. Neque *imperator*, neque *dux*, neque *auctor*, neque *princeps* (conf. Catilin. I. § 27) cuiuscumque rei *acer* appellari potest, propterea quod istud adiectivum non nisi iis tribui solet, in quibus vis quaedam et intentio ad agendum inesse cogitari possit: igitur et *acre ingenium*, et *acres oculi* dicuntur et *acer hostis*, aut *inimicus*, et *acris pugna*, non item ii *acres* dicuntur qui designantur dignitatis vocabulis, ut Consul, ut imperator, ut belli dux. Hinc defendi potest id, quod fortasse miretur quis, Sull. § 52, *noctem acerrimam* dici (non tantum *acerbissimam*, ut ad Att. X. 8. 7), si quidem *noctis* vocabulo istic consilia et decreta intelliguntur de quibus convenisset inter coniurationis socios ad rem publicam evertendam, quorum ea nocte animi certe acerrimi fuissent.

Ex Ciceronis consuetudine perpetua dici poterit quis *providere quid*, aut *alicui rei*, aut *ut* et *ne* quid fiat; non item *quemadmodum*, quod apte demum coniungitur cum verbis *videndi*, *intelligendi*, *consulendi*, *deliberan-*

di, similibusque. — Nec probari posse puto *in insidiis salvum esse.* Dici poterat *ex insidiis salvum evadere*, quoniam *salvus* in ipso eventu dicitur: sed requiritur *inter insidias tutum esse.* — Postremo, ut aliquando finem quaerendi faciamus, quis umquam aut *tantas*, aut *tam absconditas insidias* dici audivit? *Tot insidias* novimus, non *tantas*, quoniam non cernuntur magnitudine. Neque *absconditae* ut dicantur probari potest, quasi insidiator non per se operam det ne appareant, ne emineant insidiae. Dixit sane Cicero de Rulli consilio, Leg. Agrar. II. § 49, *patefacio vobis, quas isti penitus abstrusas insidias se posuisse arbitrantur contra Cn. Pompeii dignitatem.* Sed lex ipsa patebat, nec abscondebatur: interpretando tantum eo pervenerat Orator, ut ostenderet, quod fortasse plerosque latuisset, quodque propterea *abstrusum* appellat, id lege contineri, quo isti tamquam *insidiari* Pompeii dignitati dicendi essent.

Sequitur, *nam tum, quum ex urbe Catilinam eiiciebam (non enim iam vereor huius verbi invidiam, quum illa magis sit timenda, quod vivus exierit,) sed tum, quum illum exterminari volebam, aut reliquam coniuratorum manum simul exituram, aut eos, qui*

restitissent, infirmos sine illo ac debiles fore putabam. De *eiiciendi* verbo modo vidimus: sed error notandus est quum id permutatur cum verbo *exterminandi*, quod in abusu potestatis usurpari solet, sicut cognita exempla evincunt; ne dicam inepte in hoc quoque variari, quod *exterminari volebam* ponitur pro *exterminabam.* Utrumque autem quum facto constet, quid est hoc, quod dicit se non vereri *verbi invidiam?* quae nulla alia esse potest praeter eam, quam quis verbo pronunciando concitet: conf. Planc. § 75. Pison. § 72: contra, rei gestae invidiam timere poterat, sicut harum Orationum scriptor ipse significat Catilin. I. § 28, quam istic tamen inscite *invidiam potestatis* appellat. Sed magis etiam ridicula *illa invidia, quod vivus exierit:* quasi invidia cui nasci posset ex eo, quod alius faciat: debuisset saltem dicere, se *inde* invidiam timere, quod vivum exire passus esset, qualem Catilin. I. § 29. *inertiae invidiam* appellat. Neutrum tamen recte nec verbi ingenio convenienter. Omnium sane factorum et vitiorum reprehensio est: sed invidia non nisi in nimia potestate eiusque abusu ponitur, tum in superbia et audacia et severitate, quod servare videtur scriptor in Catilin. I. § 23; con-

tra, aliena est ab inertia aut modestia aut lenitate aut negligentia. Tum, *reliqua coniuratorum manus* in primis improprie dicitur de *reliquis coniuratis* qui in urbe manserant, quoniam *manus* non nisi de copiis comparatis ad vim et ad impetum faciendum usurpari solet, quo nomine Sest. § 42, de illis temporibus recte dicitur, *coniuratorum veteres copias, et fusam illam Catilinae manum importunam — esse renovatam*, nempe quae proelio illo fusa et exstincta fuerat: recteque ibid. § 79 *manus Clodiana* appellatur. Omitto reprehendere, quod *reliquam* manum dicit: et concedendum Suetonio, qui Octavian. 3. scripsit *residuam Spartaci et Catilinae manum*. Sed damnanda certe Lambini correctio est in Sest. § 11, ut legatur *reliquaeque coniurationis impetus et conatus*, pro *reliquique*. Quorsum deinde pertinet illa disiunctio, ut a *reliqua manu* distinguantur *ii qui restitissent?* quos quum dicit *infirmos fore* se tum putavisse, quid attinebat, quod statim subiicit, *in eo omnes dies noctesque consumere, ut quid agerent — sentiret?* Sed in his ipsis verbis est, quod iure quis reprehendat. Nolo hoc urgere, in tam exiguo temporis intervallo inde a Catilinae discessu usque ad suspicionem de Al-

lobrogum legatis, aliquanto liberius commemorari *omnes dies noctesque:* sed ipsum istud *omnes* et usui et rationi repugnat, et de continuo vel labore, vel molestia, non nisi *dies atque noctes* perferri eam dicitur: exempla attulit Madvigius ad Fin. I. 51. p. 102: quique locus ab eo omissus est, Planc. § 99, quod huc non pertinebat, multum diversam rationem habet, quoniam istic de certo numero dierum noctiumque sermo est, quibus Plancius Ciceronem Dyrrhachio Thessalonicam perduxerat, igitur commemorato die, quo primum Plancius in eum inciderat, recte subiicit, *o reliquos omnes dies noctesque.*

Notabilis porro error hic est, quod ista, *omnes dies noctesque consumpsi*, subiicit his, *ut vidi;* quoniam, ut constare arbitror, post eiusmodi loquendi formam, unius aut facti aut capti consilii mentio requiritur, non eiusmodi actionis quae non statim absolvatur.

Sed taedet continuo in illo luto volutari: quamquam hoc etiam notemus, iugulari Latinitatem quum dicat, coniuratos *nobiscum esse:* si quidem *esse cum aliquo* constanter apud Ciceronem usurpatur in sententiarum consiliorumque communione et societate, aut in quacunque necessitudine animorum, quemadmo-

dum, ut uno exemplo defungar, Rabir. Perd. § 24 *cum Saturnino, cum bonis, cum consulibus esse:* et alio modo, Brut. § 309, *eram cum Stoico Diodoto*, i. e. utebar eius disciplina.

§ 3.

Maneo in ea sententia quam supra explicui, puram et elegantem Latinitatem Tullianam, omninoque orationis indolem non divinando constitui opus esse, sed accurate perspici cognoscique posse ab eo qui animum attendat. Et profecto sic se res habet, qui illam iure celebratam orationis virtutem non sentiat ipse et animo complectatur, is non tantum ab istarum rerum iudicio et arbitrio excludendus est, sed inanem etiam operam posuisse censendus erit in cognoscendis praestantissimis veterum literarum monumentis, si praesertim in praecipuis illorum studiorum emolumentis hoc numerandum est, ut nostrum ipsi sensum istius venustatis excolamus, et in omni sermonis genere, tam in verbis quam in sententiis, id sequi discamus, quod rectum et verum sit, omnino quod deceat, fugere contra quae ab erudito et casto sermonis usu deflectant verborumque tum deligendorum

tum componendorum turpem inscitiam prodant. Hinc factum est ut, complures alios omittens, Madvigium, virum in paucis doctum et acutum et praeclarissimum Ciceronis interpretem, deligerem, quem demonstrarem perversa argumentatione contrariam sententiam defendere. Non poenitet me eius disputationis, quam qui cognorint concedent mihi, ut spero, frustra conatum esse Madvigium vel ut proba et recta tueri, vel codicum aut ingenii ope emendare quae in illis orationibus legerentur.

Iam, quum dixissem in hac ipsa Prima Catilinaria, de qua nemo, quod scirem, adhuc dubitavisset essetne Ciceronis an minus, ne tria quidem verba iuncta exstare, in quibus non posset notari linguae ignorantia et barbaries quaedam, simulatque cum ipsius Ciceronis constanti consuetudine compararentur, nolui frustra a me flagitari, ut hoc ipsum dedita opera explicarem, ideoque sumsi duo priora Capita eius Orationis in quibus singula explorarem ita, ut stulti et inepti et indocti declamatoris vitia denudarem: et confido, qui mihi de hac particula concesserint, reliqua facile largituros esse.

Quod si id, quod volo, quodque in hac annotatione perficere conatus sum obtinuero, nihil opus erit alia persequi, quae rite enucleata ad

eiusdem iudicii necessitatem perducerent. Vidi enim qui, praeter orationis ipsius indolem, oratoriam quoque virtutem insignem in his declamationibus cerni contenderent, tum nescio quam prudentiam rei publicae a Consule in Senatu et apud populum gerendae. Ad illa quidem si respondendum esset, perficere liceret ea, quae in priore commentatione adversus Quinctilianum disserui: nec poenitet me tantum, quantum satis erat, significasse, adeo nihil esse in sententiis, e quibus consarcinata esset illa declamatio, quod sani et sinceri et prudentis ingenii nota agnosceretur, ut mirarer si quisquam serio contenderet quidquam se deprehendisse quod operae pretium esset memoriae commendari: in quam sententiam, ut audio, Morstadtius disputavit in quodam Programmate quod hucusque usurpare mihi non licuit. Sed plane amplector id, quod in Bruto § 258. Pomponio tribuit Cicero, *solum et quasi fundamentum oratoris esse locutionem emendatam et Latinam:* nullaque *oratoria ornamenta* decebunt nisi, ut ait idem Pomponius de Caesare (§ 261), *ad elegantiam verborum adiungentur*. Si tamen istarum rerum iudicium difficile est certis finibus circumscribere, certamque notam excogitare qua quae sic ut decet ornata sint distinguan-

tur ab iis quae vel insulsa vel tamquam calamistris inusta videantur, quod omnis eius generis existimatio a cuiusque sensu et eruditione pendet, quid dicendum est de eo, quod postremum commemoravi? Sunt enim qui serio contendant eum animum spirare in illis declamationibus, in tanto discrimine rerum eam consilii capiendi fortitudinem, eam sollertiam in concitando Senatu et populo ad summam rem publicam defendendam splendere, ut insanum sit ista a rhetore quodam ficta esse existimare, qui ne minimam quidem partem illorum periculorum attigisset. Equidem non aggrediar illius sententiae diiudicationem, quam lubens relinquo iis qui historiam illorum temporum tractantes non tantum eventus ipsos, sed causas quoque persequuntur eorumque qui agunt artes et consilia investigant. Fieri potest ut nec Drumannus ab ea consideratione recesserit, nec Mommsenius: nihil hoc ad me, qui contendam e comparatione tot voluminum Tullianorum, unde constantem speciem efficere liceat illius castae et elegantis orationis, cuius inventor et princeps Cicero fuit, fieri non posse ut is harum Catilinariarum scriptor et editor fuerit.

Aliquanto minus pertinaces futuros fuisse opinor contrariae sententiae propugnatores, nisi

Salustium auctorem habuissent, qui (Catilin. XXXI. 6) tradat, quam Cicero habuisset orationem luculentam, *postea scriptam edidisse.* Fuerunt viri docti qui postrema illa verba subdititia haberent, propterea quod nihil novi hoc esset Ciceronem edidisse orationem, quod idem alii multi facere soliti essent, ut non necesse esset hoc monere. Neque ipse video quid ea mentio ad illorum temporum gravitatem explicandam quidquam pertineat. Nihilominus relinquendum hoc esse Salustio censeo, aptum in primis totius loci conformationi. Et sane aliquantum ponderis ea traditio haberet, nisi constaret Salustium inconsiderate et negligenter multa miscuisse et turbasse et falso tradidisse. Prudenter ea de re monuerat iam Muretus in Praefatione Commentarii in Catilinarias, et probandus est Theod. Mommsenius, qui in Historia Romana (vol. III. p. 173. Ed. 3tiae) nobile illud responsum Catilinae, *si quod esset in suas fortunas incendium excitatum, id se non aqua, sed ruina restincturum*, (Cicero Muren. § 51) non reiecerit in illum Senatum, in quo Consul adortus erat Catilinam, sicut Salustius ibid. XXXI. 9 tradit. Sed, quod qui illis temporibus historiam scribebant potius oratorium opus se aggredi putabant, quam diligentissima rerum ex-

plicatione fidem mereri studebant, et ipsi saepius turpiter errabant, et alios aeque inconsideratos in errorem duxerunt; unde, verbi causa, factum est ut Florus (IV. I. 7) quoque incaute Salustium secutus historiam corruperit. Hoc praeterea falso tradidit eodem loco Salustius, Catilinam Ciceroni exprobrasse eum esse *inquilinum civem urbis Romae.* Relinquo Salustio quod in primis improprie *inquilinum civem* appellaverit; sed falso huc retulit, quod Torquatus Sullae accusator Ciceroni obiecerat, *peregrinum* eum esse (Sull. § 22 sq.). Itaque et Dio Cassius unum Salustium in ea traditione auctorem secutus est, et tantum valuisse videtur eadem auctoritas, ut Velleius Paterculus quoque (II. 128. 2), quamquam sine contemtus significatione, M. Catonem *inquilinum urbis* appellaret. Quid, quod ne respondisse quidem omnino in illo Senatu Catilinam, conficiendum est ex eo, quod postea Cicero, vivorum et praesentium memoria teste, edidit (Orat. § 129), *a nobis homo audacissimus Catilina in Senatu accusatus obmutuit.* Non est mihi nunc in animo reliqua persequi: sed non difficile esset ostendere in ipsa eventorum et rerum gestarum expositione discedere Salustium ab iis, quae in Prima Catilinaria traduntur; unde conficio eam

non lectam ei fuisse, sed quod fama audivisset ab eo traditum esse. Ne Plutarchus quidem legisse illam declamationem videtur, qui (vita Ciceron. cap. 17) et de illo Catilinae in Senatum adventu ea narret, quae istic frustra quaerantur, (*ἀρξάμενος δὲ λέγειν ἐθορυβεῖτο*), et eiusmodi verba Ciceroni tribuat, quae minime conveniant cum iis quae nunc edita hahemus (*δεῖν γὰρ αὐτοῦ μὲν λόγοις, ἐκείνου δ' ὅπλοις πολιτευομένου, μέσον εἶναι τὸ τεῖχος*), quo hoc necessario arguitur Plutarchum ista secundum famam tradidisse, declamationis scriptorem idem (§ 10 et 32) perquam inscite reddere conatum esse.

Satis autem constat, in iis, qui nullam fraudis suspicionem admittunt, esse qui uno alteroque loco deflectere orationem concedant a recto linguae usu, et a Ciceronis consuetudine, sed ea vitia tolli posse contendant pluribus, quam hucusque factum sit, libris manuscriptis excussis. Fac istud fieri posse, largiamur etiam aliquantulum ingenio, ut computatis et inter se collatis quae e diversis membranis afferuntur, ratione quadam inita (qua arte prae ceteris gloriatur, nec sine causa, Madvigius) constituatur quid in archetypo scriptum fuerit, itaque restituatur quod melius Latinum sit: quid, quaeso, tan-

dem consequemur? Aptioribus sane verbis compositam, sed languidam, inficetam, et tum ingenii lumine, tum opportunitatis et necessitatis commendatione carentem sententiam restituerimus. Nolo hic urgere id, quod Crassum in oratore postulare fingit Cicero (Orat. III. § 101), ut *bene* et *praeclare* quamvis saepe ei dicatur: sed nulla in illis declamationibus sententia reperietur de qua quis dicat *non potest melius*, nulla quae non vel in *umbra* et *recessu* segniter delitescat, vel frustra ingenii lumen simulet. Quodsi nullae orationes, praeter has Catilinarias, Ciceronis nomine ferrentur, facile equidem amplecterer Mommsenii, viri acutissimi, iudicium expositum in Historia Romana (Vol. III. p. 597 sqq.): nec minus in easdem orationes ea dicerentur, quae apud auctorem Dialogi de Oratoribus (cap. 22) satis leviter enuntiantur his verbis: *priores eius* (Ciceronis) *orationes non carent vitiis antiquitatis, lentus est in principiis, longus in narrationibus, otiosus* (fort. *odiosus*) *circa excessus, tarde commovetur, raro incalescit, pauci sensus apte et cum quodam lumine terminantur, nihil excerpere, nihil referre possis, et, velut in rudi aedificio, firmus sane paries et duraturus, sed non satis expolitus et splendens:* in qui-

bus tamen *parietis firmi* similitudine non minus proba et recta et casta Latinitas laudari videtur, quam apta sententiarum compositio et ambitus, verborumque et sonus et ubertas. Quae tamen orationis virtutes (quae quo modo ab ingenii laudibus segregari possint, alii viderint), tantae fuerunt, ut Cicerone auctore nova plane et antea incognita facies et forma literarum oriretur, quae eruditissimo cuique eximie placeret. Etenim vix serio quis contendat Caesarem turpi quadam assentatione usum ea scripsisse ad Ciceronem, quae hic, non sane sine vanitate, commemorat in Bruto § 253. Et operae pretium est locum describere, ut simul corrigamus, qui sic edi solet: *ac si cogitata praeclare eloqui ut possent nonnulli studio et usu elaboraverunt, cuius te paene principem copiae atque inventorem bene de nomine ac dignitate populi Romani meritum esse existimare debemus.* Primum, quae his subiiciuntur verba non esse de Caesare sumta, quemadmodum Orellio videbatur, ne aliis argumentis utar, satis arguitur iis, quae statim post Bruto tribuuntur. Sed in illis apodosis frustra quaeritur, quae levi correctione sic prodibit, si legemus, *huius te paene pr.* — Ipsum illud *cogitata praeclare eloqui*, indicatur verbo *copiae.* Caesar igitur

hoc testatur; si non multi, sed tamen nonnulli, unus et alter, nunc eloquentiae gloria florent, huius tu copiae et elegantiae in verborum delectu princeps et inventor exstitisti, eoque nomine bene de dignitate populi Romani meruisti.

Omnino temperandum est id quod paullo asperius et fortasse iniquius pronuntiavit Mommsenius (eodem libro p. 559), cui Cicero non scriptor, sed verborum iungendorum opifex (*stilist*), nec praeterea quidquam in ulla arte fuisse videtur, et tamen parens exstitisse illius novi *classicismi*, ut appellat, qui scholam saperet totusque arte niteretur, nec nativo ingenio et quadam viriditate se commendans, sed animi defectum orationis novo artificio occultans. Non attinet nunc illam opinionem diligentius edisserere; alio tamen loco exponere conabor quid sit illud, quod Cicero ipse profitebatur se suo quodam iure sibi vindicare posse, apte, distincte ornateque dicere, quoniam in eo studio aetatem consumsisset, ut scribit ipse Offic. I. § 2.

Quidquid autem de illa facultate orationis statuatur, tantum efficere studuimus, ut eius quantulaecumque laudis in Catilinariis ne umbram quidem deprehendi mihi concessuri sint omnes, qui non constare eam inanibus sonis intelligant,

sed verborum delectu et proprietate, quae ipsa bona, ut mihi quidem videtur, necessario cum sentiendi prudentia coniuncta sunt. Nihil ad hanc quaestionem pertinet quaerere qualis civis fuerit Cicero, quidque in re publica gerenda et in amicorum negotiis partiumque certamine praestiterit: satis est eum incredibili studio, doctrina, ingenio hoc consecutum esse, ut ei Latinarum literarum illa aetate principatus plerorumque consensu deferretur, id quod ex illo Caesaris testimonio apparet. Conficiendumne hinc est, nihil contendi posse cum illa celebrata Ciceronis facundia? Non puto: ne ipse quidem, quantumvis vanissimus, hoc defendisset, qui bene senserit difficile in primis esse iudicium excellentis maxime eloquentiae, et melius a deteriore facultate magis quam genere distingui, in quam sententiam verissime disputantem induxit Crassum, Orat. III. § 25 sqq. Igitur aequum est ut concedatur, et alia genera dicendi praeter Tullianum suis laudibus celebranda esse, et, si ex illa aetate diversorum generum monumenta et condita fuissent, et aetatem tulissent, fieri posse ut eorum alia aliis hodie magis probarentur; non tamen idcirco quidquam detrahendum est de excellentia quam in suo genere consecutus est Cicero, nec minus in eius gene-

ris existimatione ratio habenda est exempli et auctoritatis Graecorum, quam intuendam esse quicumque tum literarum studio ducebatur agnoscebat.

Sed aliquando illam disputationem deseramus, et quantum fieri poterit brevissime ostendamus, etiamsi haec odiosiora sint, quam nihil istarum declamationum scriptor excogitare et componere potuerit, quod vel longissime ad Tullianam dicendi copiam et venustatem accederet. Sic hoc certe obtinebimus ut hoc praesidium iudicandi auferamus iis, qui cupide anquirere solent puncta quibus arctissime circumscribant Ciceronis laudes, tam forenses et publicas, quam has ingenii et literarum.

§ 1. *Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?* Qui haec scripsit, non reputavit, *tandem* in ipso introitu orationis dici nullo modo posse, ut neque alias coniunctiones eiusdem generis. Usurpatur *tandem* in urgendo, post plura iam ante dicta. Ita Verr. V. § 123, quum explicuisset maximas Verris culpas avaritiae et crudelitatis, *Per deos immortales, iudices*, (inquit) *quo tandem animo*

sedetis? aut haec quemadmodum auditis? Rabir. Perd. § 15 ita continuat antecedentia: *quum vero his rebus omnibus C. Gracchus omnes vicerit, quantum intervallum tandem inter te atque illum interiectum putas?* Et ibid. § 20 en 21 ponitur ratione habita praecedentium. Conf. Philipp. II § 8 Flacc. § 17 et 24. Agrar. II. § 45. Sed affatim exemplorum est, quibus constituatur ita perpetuo scripsisse Ciceronem, quod ipsa ratio suaderet, ut *tandem* non inchoaret orationem, sed ad extremum adiiceretur, quo gravius hoc emineret: et ne opus quidem esse putabam hoc commemorare, quum corrigebam Verr. Act. I. § 40, in Mnemos. VIII. p. 205. Ita explicandum in Orat. II. § 263, ut Libo interpellaverit Galbam. In eandem propemodum reprehensionem incurrit ipsum illud *quousque*, initio positum; qua forma interrogandi, in eiusmodi praesertim reprehensione et castigatione, tum uti solent, quum alia praecesserunt, quorum aliquod extremum tamquam inflammandum est. Quae verba Laterensi tribuit Cicero, Planc. § 75, *quo usque ista clamitas?* ne cogitari quidem possunt, nisi prius ea dicta esse cogitentur, quo ista pertinent. Pariter iudicandum de iis, quae ex altercatione cum Clodio narrantur, ad Att. I.

16. § 10: *quousque hunc regem feremus?* quae non sane orationem inchoabant. Igitur constanter sic, ut dixi, interrogatur: Philipp. III. § 3. VIII. § 17 sq. XI. § 38. XIV. § 6. Et, quamquam diversae possunt esse sermonis rationes quas alii scriptores, praeter Ciceronem, sequuntur, Salustium tamen excitabo, qui, in media oratione, Catilin. XX. § 9, *quae quousque tandem patiemini?* (Quod vehementer miror, repertus est vir doctus et ingeniosus, in Philologo XI. 4. p. 656, qui suspicaretur ad haec scilicet Catilinae verba suum exordium in Catilinam de industria Ciceronem accommodasse). Nec omittendus Livius est, ubi VI. 18. 5, haec verba Manlio tribuuntur: *quousque tandem ignorabitis vires vestras?* nec tamen quisquam, ut confido, ita orsum esse Manlium putabit, sed continuare orationem, quae modo obliqua fuisset. Sunt alia eiusdem generis. Verbi causa, quum, Lael. § 6, Fannius ita orditur, *sunt ista, Laeli*, non est hoc exordium dialogi, sed alia praecessisse cogitandum est, quo istud *ista* referatur, sicut est Acad. Post. I. § 9, *tum ego, sunt, inquam, ista Varro.*

abutere patientia nostra. Quidni per se recte dicatur, *abuti alicuius patientia?* Sensus est, »quo usque nos passuros esse nefaria tua consilia

confidis?" Hoc in vitio est, quod illa *patientia* non ante significatur, quae sit. Quid autem Cicero Sull. § 47? Modo dixerat, *fero ego te, et nonnumquam animum incitatum ad ulciscendam orationem tuam revoco ipse et reflecto:* post addit, *tu noli hac nova lenitate abuti mea.* Sic Ligar. § 1: *paratus veneram, quum tu id neque per te scires, neque audire aliunde potuisses, ut ignoratione tua ad hominis miseri salutem abuterer.* Huiusmodi significationem deprehendimus quoque Verr. V. § 74, ubi postquam inaudita Verris scelera explicuisset, exclamat, *O dementiam populi Romani, seu potius patientiam miram et singularem*, quae non sine reprehensione dicuntur. De Rullo, Agrar. II. § 19, *tentavit, ut opinor, patientiam vestram, quum se nobilem esse diceret:* simul enunciatur quo facto tentavisset. Iterum, quarum rerum patientia intelligenda esset, satis apparet in his, Philipp. II. § 116: ubi, quum significasset quibus beneficiis, quibusque virtutibus, quum dominaretur, Romanos sibi devinxisset Caesar, addit: *quid multa? attulerat iam liberae civitati partim metus, partim patientia, consuetudinem serviendi:* in quibus correxi *metus*, quum edi soleat *metu.* Igitur, si ipsum hoc,

abutere patientia nostra, recte dicitur, hoc reprehendendum, quod non ante significatum est in quibus perferendis illa *patientia* cerneretur, quemadmodum, expositis demum iniuriis quibus vexati essent socii, in Verr. V. § 126, *patimur* (inquit) *iam multos annos et silemus.* Et locum apponam e Rosc. Amer. § 54, ut in alio quoque scriptore ostendam quam ridiculum errandi genus oriatur ex ignorantia sermonis: *finge aliquid —, ut ne plane videaris id facere, quod aperte facis, — horum virorum dignitati illudere. — Quid est aliud, iudicio ac legibus, ac maiestate vestra abuti ad quaestum atque ad libidinem, nisi hoc modo accusare* cet. Scriptor Orationis pro Domo § 104 sic: *hic* (Clodius) *non illudit auctoritati horum omnium, qui adsunt, summorum virorum? non vestra, pontifices, gravitate abutitur?* Sumsit sane ex illo Roscianae loco utrumque verbum, et *illudere*, et *abuti;* sed non attendit, neque *illudere auctoritati*, neque *abuti alicuius gravitate* dici ullo modo posse.

Quamdiu etiam furor iste tuus nos eludet? Sine exemplo iunguntur *quamdiu etiam:* nec iungi oportere puto. Utrovis modo sententiae satisfecisset scriptor, vel si *quamdiu*, vel

si *etiamne* dixisset: in coniunctione non ferendus pleonásmus inest.

furor iste tuus. Hoc nihil habet ipsum in quo quis offendat: multis exemplis ea loquendi forma commendatur. Quod tamen neglectum est, inscitiam scriptoris arguit. Nam *iste*, ut aliud quodvis pron. demonstrativum, ponere non licebat, nisi quum vel ex antecedentibus intelligi potuisset, vel statim subiiceretur quanam in re *iste furor* cerneretur; id quod Cicero servare solet. Vatin. § 26: *qui fuit ille tuus tantus furor, ut — eum repente revocares* cet. Verr. II. § 46: *quae est ista praetura?* nempe, quam modo descripserat: quod idem servatur ibid. § 43: *quae — ista fuit amentia?* Sed nihil opus est innumerabilia exempla conquirere, ubi ratio ipsa pronuntiat.

furor nos eludet. Eludere quem aut *quid*, dicitur de eo, qui ingenio superat facile ea, quae sibi adversa sunt, ut exempla demonstrant: contra, si absolute *eludere* ponitur, est pro iactare se ita, quasi aliorum remissio impunitatem quidvis agendi tribueret. Exempla Indices suppeditabunt. Sed, quamquam recte dicitur Milon. § 32, *Clodius hoc assequebatur, non modo ut praetor esset non eo*

consule, quo sceleris nihil facere posset, sed etiam ut iis consulibus praetor esset, quibus si non adiuvantibus, at conniventibus certe, speraret posse se eludere in illis suis cogitatis furoribus, (quemadmodum scripsit Tacitus Ann. XVI. 28) perperam dicitur *furor aliquem eludere*, quae prosopopoeia prorsus discedit a modesto et sano usu verborum quem Cicero servare solet. Et, quum initio recte dixisset, *quousque abuteris patientia nostra*, nunc, variandae orationis studio, dicit, *quamdiu furor tuus nos eludet*, statimque subiicit, *sese iactabit audacia.* Ex hoc postremo autem perspicuum est, quid sit *eludere*, et melius certe omisisset scriptor accusativum *nos*, ut sensit Madvigius.

quem ad finem. Iterum peccatur variandi studio, quum modo posuisset *quousque*, et *quamdiu.* Recte per se dici *quem ad finem*, demonstrant haec exempla: Coel. § 11, *quem ergo ad finem putas custodiendam illam aetatem fuisse?* Verr. V. § 75, *piratam vivum tenuisti. Quem ad finem? Dum cum imperio fuisti.* Sed et his, et aliis exemplis efficitur, in illa forma loquendi de eiusmodi rebus cogitari, quarum certus finis aut modus consilio et voluntate definiri possit. Atqui non cadit

hoc in *effrenatam audaciam* quae *se iactat*, quam quis consilio aut prudentia cohibere putandus est?

sese effrenata iactabit audacia. Non ipsa vitia, sed homines in vitio *se iactare* dicuntur, nempe quum ipsum illud *se iactare* in reprehensione et crimine ponitur: nam ubi Tusc. IV. § 24 dicitur, *perturbationem*, *iactantibus se opinionibus inconstanter et turbide*, *in motu esse semper*, non nisi perpetua agitatio et vicissitudo opinionum intelligitur. Ipsum *audaciae* vocabulum, hoc quidem loco, non oportebat carere adiecto pronom. *tua.* Postremo abutitur scriptor adi. *effrenata.* Neque hoc *audaciae*, nec *sceleri*, nec *improbitati*, nec *amentiae* tribui solet, nec potest, sed *furori*, aut *libidini*, aut *cupiditati*, aut *menti*, aut *violentiae*, aut *appetentiae*, sicut exempla docebunt; siquidem haec postrema omnia ipsa per se impetum quemdam declarant. Verr. V. § 139: *furor quidam*, *sceleris et audaciae comes*, *istius effrenatum animum importunamque naturam tanta oppressit amentia*, *ut —.*

nihilne te — moverunt. Melius certe Codd. Mureti, *nihil te —*, quae forma interrogandi in primis decet indignationem interrogantis, ut

mox, *non sentis, non vides.* Sed totum hoc, *nihil te ista moverunt*, primum tempore verbi vitiosum est, et postulabatur *nihil te movent*, quoniam non de eo, quod iam perpetratum et confectum est, sed de continuando nefario consilio sermo est: et sic aliquoties in Verrinis. Igitur in re iam transacta, Agrar. II. § 83: *privatum haec causa commovit.* Tum, quae enumerantur eius generis, ut Catilinam iis moveri oportuisse dicatur, partim sane eiusmodi sunt, ut ab aliquo tempore animadverti potuerint, ut *nocturnum praesidium*, ut *vigiliae*, ut *timor populi*, *munitissimus senatus habendi locus;* sed extremum, *horum ora vultusque*, non nisi ad praesentem aspectum pertinet: quo modo igitur Consul exspectare poterat, ut propter hunc aspectum iam ante deposuisset Catilina suam illam audaciam? Sed videamus singula istorum, quae recitat Quinctil. I. O. IX. 3. 30.

nocturnum praesidium Palatii. Quemadmodum, Legg. II. § 21 et 37, *nocturna sacrificia* et *pervigilationes* appellantur, ita perpetuo *nocturnum* id dicitur, quod noctu *fit*, itaque recte infra § 8, *nocturnus impetus* dicitur, eodemque modo dicitur *nocturna quies*, Agrar. II. § 5, et *nocturni metus*, Offic. II.

§ 84. Quod autem Iurisconsulti excogitarunt, ut *fur nocturnus* diceretur, minime defendit istud *nocturnum praesidium*, ut significetur quavis nocte Palatio praesidium imponi.

urbis vigiliae. Recte dicitur *urbis praesidium*, et *custodia civitatis*, ut in harum ipsarum rerum mentione appellat Cicero Muren. § 79: tum, mansisse se *in urbis vigilia* dicit Pison. § 16, quemadmodum postea, Philipp. XII. § 24, profitebatur se in urbe manere, ***haec mea sedes est*, *haec vigilia*, *haec custodia*, *hoc praesidium stativum*.** Contra, plurale *vigiliae* non admittit alium Genitivum, nisi eius qui vigilat, ut neque *excubiae*. Milon. § 67, ***si haec arma*, *si Capitolinae cohortes*, *si excubiae*, *si vigiliae*, *si delecta iuventus — contra Milonis impetum armata est***, cet. Rectius igitur scriptor utitur ***vigiliarum*** vocabulo infra § 8 et II. § 26. Ne in Tacito quidem Ann. I. 28 per zeugma explicandum est, ut dixerit *vigilias portarum*. Recte quoque, de his ipsis temporibus, Salustius Catilin. XXX. 7, decretum esse ut ***Romae per totam urbem vigiliae haberentur.***

timor populi. Ut *metus*, aliaque similia, ita ***timor*** non tantum adsciscit Genitivum obiecti, ut *timor belli mulieribus incessisse* di-

citur apud Salustium Catilin. XXXI. 3, sed etiam eius cui tribuitur, ut Cicero Sest. § 15, *in multorum timore.* Sed non negligendum, singulis tribui timorem oportere, non collectivo nomini, ut *populo.* Att. V. 20. 3, *Parthis timor iniectus est.* Agrar. II. § *timorem bonis iniecisti*, et Muren. § 50. Ideo idem vitium notandum in Ep. ad Brutum 3, *civitas perculsa magno timore:* quum recte Cicero Muren. § 85, *versabitur in curia timor:* et Sest. § 28 appellat eos *qui in timore fuissent.* Et quum Agrar. II. § 8 Cicero dicit, se *accepisse rem publicam plenam sollicitudinis, plenam timoris;* non sane significat ipsam rem publicam tum timuisse, sed eam tum fuisse eius conditionem, ut multi, prope omnes, timerent. Ut innumerabilibus locis, ita Sull. § 66, cum Genitivo obiecti ponitur *timor: omnis seditionis timor atque opinio ex Autronii improbitate pendebat:* sed, quod subiicitur, corrigendum est: *eius voces — metum nobis seditionesque afferebant*, quod postremum (*sedit. affer.*) non tantum historiae adversatur, sed minus etiam recte Latine dicitur *afferre seditiones*, quae proprie dicuntur *concitari*, aut *commoveri.* Legendum est, *metum nobis seditionis afferebant.*

Hoc quoque reprehendendum est, quod ita dicitur, quasi Catilinam *populi timore moveri* oportuisset. Suo ipse quis metu aut timore *moveri* dicitur, sicut apud Ciceronem Sest. § 35, *me alii metus moverunt*, non item aliorum timore, nisi ex eius indiciis quae animadverti possint: et in huiusmodi manifestis indiciis aliorum virtutis, recte ponit Cicero *movendi* et *commovendi* verba, Coel. § 34. Nam, quum ad Div. I. 9. 12 scribit, *vehementer res ipsa publica me movit*, intelligit, ut ex seqq. apparet, suam opinionem de re publica.

nihil concursus bonorum omnium. Servavit Madvigius *concursus*, spreto eo, quod olim edi solebat, *consensus.* Utrumque perperam et inscite dicitur. Primum, *concursus* appellatur multitudinis cuiusdam, nulla habita ratione qua quisque vel conditione, vel sententia sit, et ita saepe cum clamore et fere tumultu iungitur, (Verr. IV. § 52) ut alienissimus sit ab iis, qui Romae *boni* habebantur. Igitur ne ea quidem quae narrantur Rabir. Perd. § 20 sqq. *concursus* nomine appellantur. Praesto esse possunt unicuique exempla: nec discedit hoc, Acad. II. § 70, *concursus omnium philosophorum*, i. e. cuiusvis sectae; et Fin. II. § 111, *concursus honestissimorum studio-*

rum, per satis liberam figuram dicitur: et, quamquam recte *omnes boni* appellantur, v. c. Sest. § 21. 27. 28. Flacc. § 103, ad Div. I. 9. 10, ita ut nemo excipiatur, improprie h. l. *omnes boni*, in concursu scilicet, ponitur. Postremo, quum non dicatur *hic concursus*, ita ut cogitaremus nunc ipsum, dum in curia esset Senatus, concursum illum factum esse, necessario de perpetuo aut quotidiano concursu cogitandum erit, id quod in primis absurdum.

Videamus de altera lectione, *consensus bonorum omnium*. Ridiculum primum est additum *omnium: consensus* cum simplice nominis Genitivo iungi solet, quum eo nomine certum ac definitum genus vel rerum vel hominum indicatur: contra recte Orat. III. § 21, *omnium consensus doctrinarum* dicitur, quoniam illae doctrinae diversissimae inter se cogitabantur: et ad Div. I. 9. 12, *unum fere sensum fuisse bonorum omnium*, agnoscimus quid illud *unum*, initio positum, admittat. Sed ipsum illud, vel *sensum*, vel *consensum bonorum*, movere quem, tum dici potest, si eum e certis indiciis cognoverit, et simile quid modo in *populi timore* notabamus. Praeterea, *consensionem bonorum* simpliciter et recte dixit Cicero Rabir. Perd. § 2.

hic munitissimus habendi senatus lo-

cus. Senatus habebatur in templo Iovis: conf. § 33. Sed ista sic dicuntur, quasi contra quam soleret istic haberetur nunc Senatus ideo, quod locus ille munitissimus esset. Mihi quidem nihil constat de illa extraordinaria munitione istius templi, sive istud *manu munitum*, sive *loci natura* esset, ut loquitur Cicero Verr. II. § 4, de Syracusis: nam de *praesidio Palatii* iam dixerat.

horum ora vultusque, i. e. eorum qui nunc adsunt: sed haec nunc fortasse movere poterant Catilinam, sed non ante *movisse* eum exspectare poterat Consul. Non novum est, ut *os vultusque* iungantur: Deiot. § 5: *in tuis oculis, in tuo ore vultuque acquiesco:* et, quamquam nusquam ita reperio, *ora vultusque*, repudiandum non est: conf. Cluent. § 72. Agrar. III. § 2 Milon. § 42. Sed pronom. *hi* uti solet Cicero de iudicibus, non item de Senatoribus, in orationibus quas in Senatu habuit. *Hos qui adsunt*, in Sull. § 32, appellat coronam quae iudicium circumstabat.

patere tua consilia non sentis? Abutitur scriptor verbo *patere*, in hac sententia; siquidem ea *patere* dicuntur in bona Latinitate, ad quae facilis aditus est; et *consilium alicuius patet*, nihil aliud est, quam *praesto est* aliis:

ad Div. VI. 10. 4, *omnia Ciceronis patent Trebiano:* ideoque *patuit*, prae altera lectione *paruit*, praeferendum in loco ad Div. XIII. 29. 2. Muren. § 28, *quod omnibus patet, et aeque promptum est mihi et adversario* —. Quid autem voluit scriptor? Nempe, cognita, perspecta, aperta esse Catilinae consilia, nec latere. Contra, recte dixit Cicero Sull. § 4, *ista coniuratio, si patefacta per me est, tam patet Hortensio, quam mihi:* nam in *coniuratione* occultum quid intelligitur, in *consiliis* non necessario.

constrictam horum omnium conscientia teneri coniurationem tuam non vides? Duplici modo peccatur contra perpetuam sermonis indolem. Primum, *coniuratio* quod *constringi* dicitur. Etenim *constringi* ea dicuntur, quae extranea vi quadam prohibentur quo minus erumpant et se profundant Ita Coel. § 75, *voluptates* dicuntur *inclusae et prima aetate compressae et constrictae*. Balb. § 12, *fides* dicitur *constricta religione legum et foederum*, sc. eius ipsius, de cuius fide agitur. Et ubique in facto quae consistunt recte dicuntur *constringi*, ut Orat. I. § 202, *scelus fraudemque nocentis supplicio constringere*, oratoris facultati tribuitur. Sed *coniurationem*, quae con-

sensu tantum quorumdam constat, nihil est quod *constringere* possit. Tum, multum abesse ut nihil iam coniurati efficere potuerint, res ipsae satis docent, sicut plane ostendit Cicero Muren. § 78 sq.: et nihil aliud in illo iudicio, iam eiecto Catilina, Consul profitebatur nisi haec: *horum ego quotidie consiliis occurro, audaciam debilito, sceleri resisto.*

Alterum, quod defendi nullo modo potest, hoc est, quod coniuratio dicitur *constricta* aliorum *conscientia.* Non improbandum sane quod *conscientia* appellatur, si id, de quo agitur, ad aliorum notitiam pervenit, ut Fin. I. § 51, de improbis, *qui satis sibi contra hominum conscientiam saepti esse videntur:* et II. § 28, *hominum conscientia remota.* Sed, ut sua quemque conscientia stimulare, agitare, fortasse etiam constringere potest, transferri ista non possunt ad aliorum conscientiam, cui nullam coërcendi vim tribuere licet. Aliquanto melius dixisset *teneri coniurationem conscientia omnium,* i. e. deprehensam esse, sicut Caecin. § 4, rem dicitur *testibus teneri.* Sed *constrictum teneri* diversum est, et quid sit, intelligitur ex hoc exemplo, Pison. § 29, de Pisone et Gabinio, *foedere* (nempe cum Clodio) *obstricti tenebamini*, nempe quo minus in Se-

natu de Cicerone referrent.

quid proxima, quid superiore nocte egeris. Ex his necesse est de duabus noctibus cogitare, quamquam, ubi ista disertius persequitur, § 8 sq., non nisi unius, i. e. proximae noctis, mentio fit. Si scripsisset, *quid proxima superiore*, unam noctem intelligi oportebat: conf. Ernestus ad Tacit. Ann. I. 77. Sed *proximus*, et *superior*, diversa sunt. Cicero Verr. III. § 47 fin., *labefactarat — aratores iam superior annus, proximus vero funditus everterat.*

quos convocaveris. Metuo ne scriptor (exemplo tamen Salustii Catilin. XXVII. 8, in eadem re, ut antea XVII. 2) abutatur verbo *convocandi*, in clandestino concilio. Cicero certe Sull. § 52 dicit, coniuratos illa nocte *Catilinae denuntiatione convenisse, quem nostrum ignorare arbitraris?* Solet Cicero in istiusmodi sententia scribere, *quemquam nostrum?*

§ 2. *O tempora! o mores!* Rectissime ponitur hoc Verr. IV. § 56, quum significaret his temporibus alios mores esse, quam qui ante fuissent, idque probat collata L. Pisonis innocentia cum Verris sceleribus: et Att. XII. 49 *o tempora!* scribit, deplorans fieri id, quod ante fieri non exspectaretur: idemque ponitur

Deiot. § 31, item in comparatione: tum eadem mente utitur hac formula Philipp. VIII. § 23, *proh Dii immortales! ubi est illa mos virtusque maiorum?* Hoc loco autem nulla prorsus comparatio instituitur: nec sane tam novum et inauditum erat, ut nocte nonnulli convenirent deliberaturi de nefariis consiliis. Tamen dicat quis, ea comparatio deprehenditur ex iis quae subiiciuntur, quasi diceret, »olim si pate- »facta talia essent, continuo poenas dedisset; »nunc Catilina vivit," et hanc interpretationem defendat e § 3, ubi dicitur, *fuit ista quondam in hac re publica virtus, ut* —. Fac istud de *temporibus* probari posse, nihil tamen istuc pertinent *mores*, qui, ut in illis exemplis quae apposui, in privata vita spectabantur.

Senatus haec intelligit. *Haec*, necessario ad modo antecedentia referendum: itaque nihil aliud velle potuit scriptor, nisi *Senatus haec novit*, quod tamen isto modo dicere non licebat. Nam *intelligendi* verbum vel ita poni solet, ut cogitandi et iudicandi eventus significetur (Sull. § 28, *in qua urbe verser*, *intelligo:* cf. ibid. § 31. 48. 49), vel de comperiendo, quum dicimus *intelligere quid ex aliquo:* vel usurpatur ita, ut sit pro *mente assequi aliquid*, aliquanto plus quam *suspicari:* tum absolute

dicitur: ut *sapere*, pro *ingenio valere*, (sicuti Offic. II. § 48). Nusquam autem idem valet ac *nosse*. Et tamen, quum modo dixerit neminem ista *ignorare*, fieri non potest ut interpretemur, haec Senatus suspicatur. Quodsi tamen *Senatum nosse* dixit, quorsum pertinet id, quod subiicitur, *Consul videt?* quod ipsum propemodum absurdum est, quum Consul ex istis omnibus eo usque nihil *viderit*, sed omnia per nuncios et literas compererit; de quo Sull. § 14: unum, quod ipse *vidisset*, reliqui ne *suspicati* quidem essent, commemorat ibid. § 51. Patefacta demum quum tota coniiuratio esset, tum omnes *videbant*, (ibid. § 4), id est, nemo amplius dubitabat.

hic tamen vivit, quasi dicat, eum confestim interfici oportuisse. Ita Verri exprobrabat, *vivum tu archipiratam servabas*, Verr. V. § 67. et ad Atticum scribit Cicero XIV. 9. 2, deplorans, *vivit tyrannis, tyrannus occidit.* Sed talia cum dolore, aut cum indignatione obiiciebantur aliis: hic autem cui istud exprobrat, nisi sibi ipse?

immo vero etiam in Senatum venit. Aliquanto melius scripsisset, omissis illis coniunctionibus, *etiam in Senatum venit.* Nam *immo vero* tum poni solet, quum corrigitur et nega-

tur id quod praecesserat; ex quo usu haec ridicula oritur huius loci interpretatio, »tantum »abest ut vivat, ut etiam in Senatum veniat." Confici potest hoc ex uno alteroque exemplo de multis. Agrar. II. § 79, eodem modo interpretandum est, quum praecedat *isti coloni non statim conquisituri sunt aliquid sceleris et flagitii, immo vero etiam hoc magis, quod —*: i. e. tantum abest ut non statim id faciant, ut ideo etiam magis —. Offic. III. § 90, corrigendum est in his, *non igitur patria praestat omnibus officiis? Immo vero ipsi patriae conducit pios habere cives in parentes:* e libris edi solet, *immo vero; sed ipsi p.* —: sententiam enim hanc esse oportet in respondendo, »non praestat patria omnibus officiis, »quoniam prius officium est colere pietatem erga »parentes, quae pietas conducit patriae." Brevi intervallo ibid. legimus, *si patriam prodere conabitur pater, silebitne filius? Immo vero obsecrabit patrem, ut ne faciat*, i. e. non silebit, sed obsecrabit —, *si nihil proficiet, accusabit* cet.: cuius postremi loci consideratio retinere debuisset Beierum a falsa interpretatione prioris. Acad. I. § 10, quum Varro dixisset, *aut Graeca legere malent qui erunt eruditi, aut ne haec quidem qui illa ne-*

sciunt, occurrit Cicero sic, *immo vero et haec* (sc. *legent*) *qui illa non poterunt*, *et qui* [*Graeca*] *non poterunt*, *non contemnent sua.* Ad Div. IX. 17. 1, castigat Paetum, quod is ex se quaesivisset quid futurum esset: *immo vero tu fac ut sciam* —, i. e. contra, ego ex te quaero. Similiter interpretandi sunt hi loci, ad Att. II. 4. 2. V. 13. 3. XII. 43. 1. Simplex *immo*, non addito *vero*, corrigentis est, sed in eadem sententia manentis: Sest. § 53, *ipso die, die dico? immo hora.*

in senatum venit, *fit publici consilii particeps.* Quid voluerit scriptor postremis his adiectis, satis perspicuum est: sed illa adiectione non indigebat id quod praecedit, *in Senatum venit*, quoniam hoc per se illud continet. Sic ad Div. IV. 1. 1 ad Sulpicium, *antea ad te scripsissem te frustra in Senatum — venturum*, et statim post, *adesse in Senatu*, nihil aliud est nisi operam dare publico consilio: eodemque modo *venire in Senatum* intelligendum esse apparet Verr. II. § 76, ut sit sententiam ferre in Senatu, et decernere: similiterque ea coniunguntur Philipp. I. § 14, *potestas modo veniendi in hunc locum sit*, *dicendi periculum non recuso.* Conf. Att. I. 16. 9. init. Nihil nisi locus ipse et templum si si-

gnificatur, dicitur *in curiam venire*, ut Orat, III. § 6. Philipp. VIII. § 31.

Si, ut voluisse videtur scriptor, verbis illis, *fit publici consilii particeps*, hoc significatur, eum sententiae dicendae in Senatu ius obtinere, perversa dicendi forma usus est. Etenim *consilium publicum* dicitur sane de Senatu, sed in ornanda ac definienda Senatus auctoritate, ut id dicatur quasi consilium quod populi nomine de re publica deliberet ac decernat. Hinc corrigendūm est in Philipp. IV. § 14, ubi de Antonio dicitur, *hic vester hostis vestram rem publicam oppugnat, ipse habet nullam; senatum, id est orbis terrae consilium, delere gestit, ipse consilium publicum nullum habet; aerarium vestrum exhausit, suum non habet:* perspicuumne est *publicum* esse abiiciendum? Et assentior iis, qui in Agrar. II. § 88, ubi haec dicuntur, *statuerunt homines sapientes, si agrum Campanis ademissent, magistratus, senatum, publicum ex illa urbe consilium sustulissent* —, non ferendam tautologiam corrigendam esse suspicantur abiecto *senatum:* (vid. Lauredani annotatio apud Garatonium): et sane aliquanto post, § 90, sic apte et brevius enuntiatur, *Corintho et Karthagini etiamsi senatum et magistra-*

tas sustulissent. Igitur *consilii publici* appellatio tribuitur senatui, si declarari et efferri eius auctoritatem necesse est. Sic, de senatu, Prov. Consul. § 25 *reduxit* (me cum illo in gratiam) *ordo amplissimus, et ordo is, qui est et publici consilii, et meorum omnium consiliorum auctor et princeps.* Tum aptissime illa periphrasi utitur Pison. § 77, — *ut ad senatum referretis: se contra armatum tribunum plebis sine consilio publico decertare nolle, consulibus ex senatusconsulto rem publicam defendentibus se arma sumpturum:* non dixit, *sine senatu.* Milon. § 90, curia dicitur *templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici*, cet. Sed vehementer suspicor eam appellationem vitio illatam esse in hunc locum, Rosc. Amer. § 151, *dii prohibeant, iudices, ut hoc, quod maiores consilium publicum vocari voluerunt, praesidium sectorum existimetur:* nempe iudicum consilium numquam appellabatur *publicum consilium:* et aptius sane intelligeretur *perfugium publicum.* Contra, recte ponitur Rabir. Perd. § 4: *agitur enim nihil aliud in hac causa, quam ut nullum sit posthac in re publica publicum consilium*, (i. e. ut nulla sit in talibus rebus senatus auctoritas) — *nullum ex-*

tremis rei publicae temporibus perfugium et praesidium salutis..

Sed, etiamsi concedamus scriptori illa, *in senatum venit*, ornare quodammodo licuisse, facta *consilii publici* mentione, minime tamen licebat Catilinam appellare *publici consilii participem*, quoniam eo nomine collectivo Senatus indicatur. Quibus aliis modis *particeps alicuius rei* quis dicatur, (ut *animus rationis particeps*, similiaque) non attinet explicare: sed *particeps* dicitur is, quocum alius aliquid communicat: itaque Orat. I. § 172, *quoniam sententiae atque opinionis meae voluistis esse participes, nihil occultabo —*. Brutus et Cassius, ad Div. XI. 2. 1, *digni sumus, quos habeas tui consilii participes*, id quod statim sic explicant, *facias nos certiores tuae voluntatis in nos.* Ipse Cicero, ad Div. X. 12. 2, *feci continuo omnes participes meae voluntatis.* Sull. § 12, *particeps consilii vestri* appellatur, i. e. qui vobiscum deliberaverat: et ibid. § 35, dicit L. Torquatum *omnium rerum* quas in consulatu suscepisset et gessisset *participem exstitisse:* eodemque modo, Planc. § 104, C. Flavum *suorum consiliorum in consulatu socium, periculorum participem* fuisse. Sic perspicuum est, neque

in illa consuetudine, neque in ipsa proprietate vocabuli quidquam esse, quo defendatur hoc, ut Senator dicatur *publici consilii particeps:* et simpl. *consilii particeps* is fortasse dicatur, qui non soleat temere et inconsiderate agere.

notat et designat oculis ad caedem unumquemque nostrum. Concedi potest, ut dicatur quis *notare* quos occidi velit; sicut Planc. § 40, *tu me inscio notes et tuos et tuorum necessarios.* Sed cum eiusmodi *notatione* coniunctus est *delectus*, et opportune cum illo Plancianae loco conferre possumus hunc, e Philipp. V. § 13, *delectus et notatio iudicum etiam in nostris civibus haberi solet.* Quaero nunc, qui cogitari possit delectus, si unusquisque notatur? In verbo *designare* tum eodem modo offendit scriptor, tum hoc, quod, quamquam *designare* absolute saepe ponitur pro *constituere*, *definire*, *describere*, ablativum tamen eius tantum nominis adsciscit, quo quid *designetur* alii vel intelligere, vel animadvertere possint; unde et *verbis*, et *suffragiis designare* dicitur, et, sicut ipsa verbi compositio indicat, ab eo qui designat signo notatur quid, quo id ipsum quod designetur ab aliis agnoscatur. Quid est autem *oculis designare?* Possumus sane aut nutu, aut vultu, aut oculorum

coniectu quid velimus aliis significare: sed h. l. si Catilina dicitur *ipse sibi oculis designare*, quis hoc defendat? Cumulavit autem scriptor pravam illam Latinitatem addito *ad caedem*, quamquam recte, e pronuntiata iudicum sententia, dicitur quis vel *mitti*, vel *duci ad mortem*, et *rapi ad supplicium:* tum, de alia potestate, *in vincula duci*, Vatin. § 21: conf. Liv. VI. 15. 6: sed h. l. requirebatur Gerundium, *ad caedendum*, quod tam passive quam active explicare licebat, vel Participium, ut dicit Cicero, Leg. Manil. § 7, de Mithridate, *uno nuncio atque una literarum significatione cives Romanos necandos denotavit.* Ipsum illud, *ad caedem*, nullo alio modo expleri potest, quoniam non nisi active explicandum est, nisi *ad caedem faciendam*, alienissimum a sententia scriptoris. Prov. Consul. § 9, rex Ariobarzanes dicitur consulem conduxisse *ad caedem faciendam.* Falso subinde videtur viris doctis in ea forma dicendi Participium omitti, ut Tusc. I. § 26, *auctoribus quidem ad istam sententiam, quam vis obtineri, uti optimis possumus:* sed manifestum est, ex eo quod sequitur, cogitando supplendum esse, *ad istam sententiam obtinendam.* In Verr. V. § 28, quum dicitur *ex aliqua familia delecta ad li-*

bidinem mulier, apparet Praepos. *ad* ita poni, ut significetur id, quod quis consequi, quo frui cupit: ut Orat. I. § 15, dicendi studiosis praemia exposita dicuntur, *ad gratiam*, *ad opes*, *ad dignitatem.* Non sane dixisset Cicero, quod Livius VII. 40. 2, *fortes ad sanguinem civilem.*

unumquemque nostrum. Hoc quare minus aptum esset, verbo supra monui. Sed intelligendum est, tum ita dici solere, quum de pluribus cogitandum est, quorum causa et conditio diversa sit. Sic Verr. V. § 175, *omnium nunc oculi coniecti sunt hoc ipso tempore in unumquemque nostrum, qua fide ego accusem, qua religione hi iudicent, qua tu ratione defendas:* et perpetuo *unusquisque* sic dicitur, ut admittat eiusmodi discrimen, quo singuli inter se distinguantur, id quod non convenit Catilinae, cuius consilium erat, ut aliquoties Cicero loquitur, *Senatus interficiendi.*

nos autem, viri fortes, satisfacere rei publicae videmur, si istius furorem ac tela vitemus. Etiamsi nihil in singulis quibusdam esset reprehendendum, tamen illud *viri fortes*, adiectum ad *nos*, ineptissimum videri necesse est. Primum, hoc inauditum est, ut quis ipse

se fortem appellet, quum recte et apte aliis ea laus tribuatur: tum, quandoquidem nulla certe vel consulum, vel ipsius Senatus fortitudo appellari poterat, quod coniuratorum audacia tamdiu inulta fuerat, per ironiam *viros fortes* dici quis putet; quamquam hunc quidem locum quaevis ironia dedecebat. Fortasse aliquanto melius hoc exprobrare potuisset, omissis reliquis, *nos autem fortes esse nobis videmur, si — vitemus;* melius etiam, si tantum illud *viri fortes* omisisset. — *Rei publicae satisfacere* rectissime dicitur, sed postulabatur *si — vitamus:* conf. Verr. II. § 179. Sed ipsum *vitare* dubium est an sententiae satisfaciat, si, quod mihi videtur, vere docet Madvigius, ad Fin. V. § 20. p. 647, *evitare* est effectus, *vitare* conatus: et sic, Tusc. II. § 41, *turpiter vitare plagam*, de ignavo gladiatore dicitur: et ex ea ratione Verr. I. § 103 corrigendum erit, *in quibus non dubito, quin offensionem negligentiae evitare* (edi solet *vitare*) *atque effugere non possim.* Demus tamen hoc, dici posse *tela vitare*, sicut Muren. § 87, *telis Catilinae obiici;* non tamen alterum est concedendum, ut dicatur *furorem vitare*, quoniam *furor*, ut *audacia*, ut *scelus*, ut *amentia*, universe tantum de animi conditione dicitur,

nec praesentem impetum indicat quo quis petatur; itaque recte dicitur alicuius *iram vitare*, non item *iracundiam*, diversumque est quum Pison. § 26 dicitur *civitas Pisonis et Gabinii sceleri furorique cessisse.*

ad mortem te duci iussu consulis iam pridem oportebat. Peccatur in eo, quod *ad mortem duci* de eo dicitur, qui iudicio damnatus est: conf. Tusc. I. § 100 et 97: tum, ut intelligitur, non cadit illud in eum, quem (ut rectius dicitur infra § 4) *interfectum esse* conveniebat.

in te conferri pestem istam, quam tu in nos omnes iamdiu machinaris. Pron. *istam* efficit, (quoniam necessario ad id quod praecedit referendum est) ut *pestem istam* interpretemur *mortem*. Sed nusquam apud Ciceronem *pestis* nomine ipsa mors appellatur, nec nisi in genere pro pernicie et interitu dicitur. Rabir. Perd. § 25, Saturnini imago dicitur *pestem atque exsilium Sex. Titio attulisse*, i. e. effecisse ut damnaretur non retinendus in civitate: et quum Nat. Deor. III. § 66 dicitur *ipsum sibi pestem machinari*, non nisi universe interitus intelligitur. Tum, qui auctor malorum et evertendae rei publicae habetur, *pestis civitatis* appellatur, ut Rabir. Perd. § 2. Sest.

§ 33 et 146. Sull. § 76. Nec mortem sane significabat scriptor infra § 33, quum dicit *cum tua peste et pernicie proficiscere.*

Sed *perniciem in aliquem conferre* neque ulla ratione, neque ullo exemplo defendi potest, quamquam recte dicitur *mortem inferre*, ut Milon. § 17. Et, *conferre quid in quem* primum non nisi de eo dicitur, qui alteri bene vult, tum consistit intra eius qui confert animum et voluntatem, nec eventus simul significatur. Ipsum *afferre mortem* (ut Divin. II. § 62, cf. I. § 36), ut *afferre salutem*, de causa tantum dicitur, unde vel mors, vel salus consequatur. — Postremo, ut recte dicitur *pestem machinari*, non tamen *in quem* probandum est, sed Dativus requiritur. Ne ipsum quidem *machinari*, proprium in hac re verbum est, pro *moliri*, quo in eadem re Cicero utitur Muren. § 82; siquidem *machinari* in dolo, aut in quocumque artificio usurpari solet.

§ 3. *An vero vir amplissimus —, Catilinam vero — pergeremus.* Senserunt viri docti alterum *vero* soloecum et ineptissimum esse, et Madvigius abiicere e textu ausus est, quod laudandum, nisi forte existimavit ita reliquis vindicari sanam Latinitatem. Uti voluit scriptor eiusmodi bipartita interrogatione, cuius altera

pars, ex oppositione prioris, ad absurdum duceret. Balb. § 54, *an lingua et ingenio patefieri aditus ad civitatem potuit, manu et virtute non poterit?* ubi aliquoties ea forma iteratur, de qua diligenter explicuit Beierus ad Officia I. p. 245, et Madvigius Emendd. in Cic. lib. phil. p. 40, vindicavitque ad Fin. I. § 5. Sed, initio vitiosum est *an vero*, pro simpl. *an.* Videamus unum locum, ubi isto modo inchoat interrogationem, Rabir. Perd. § 16: *an vero servos nostros horum suppliciorum omnium metu dominorum benignitas unà vindicta liberat, nos a verberibus, ab unco, a crucis denique terrore neque res gestae, neque acta aetas, neque vestri honores vindicabunt?* Hic partic. *vero* non ipsa inchoat interrogationem, sed propositis modo quae eiusdem essent conclusionis, urgetur id, quod absurdum videri necesse est, hoc quasi cumulo adiecto, »an profecto tu putas istud servis tribui »posse, nobis, civibus Romanis, nullo modo »concedi?" Modo enim dixerat ista supplicia *indigna cive Romano atque homine libero esse.* Sed eo loco, quem in manibus habemus, nihil deprehenditur quod eiusmodi interpretationem defendat aut commendet: praecedere enim oportuisset id ipsum, quod in clausula interro-

gationis inest, »nos consules Catilinam orbem »terrae vastare cupientem non perferemus:" aut saltem praemitti potuerat *ad mortem te duci oportebit.* Sed neque hoc minatur, et per totam hanc orationem ab huiusmodi minis abstinet scriptor, unum hoc suadens Catilinae, ut egrederetur ex urbe; itaque vanum illud ipsum videri oportet, quum significat Consules non perlaturos esse, et inanis instituitur illa comparatio cum praeclaro et forti facinore Scipionis. Sed ab illa consideratione redeamus ad Latinitatem, et ad artificium oratorium. Apparet enim quaesitam esse oppositionem, primum ut *Scipioni privato* opponerentur *consules*, tum ut *mediocriter labefactare* oppositum haberet, *caede atque incendiis vastare cupientem*, postremo *rei publicae* ut opponeretur *orbis terrae.* Sed *privati* existimatio in primis labefactatur praemissis illis, *vir amplissimus*, *pontifex maximus*, neque usquam vocab. illud istiusmodi minus opportunis ornamentis debilitatur: contra, quod ipsa ratio postulat, ea quae ad hominem ornandum excogitantur ut illis adiectivis dicatur, non nisi tum usurpantur, quum aliquid ad causae demonstrationem et vim conferunt, id quod unicuique confirmare licebit ex innumerabilibus locis, v. c. Leg. Manil. § 51.

Planc. § 51. Murcn. § 36. Praeterea *virum amplissimum* non memini usquam a Cicerone appellatum esse, nisi quod Philipp. III. § 20 *ampli quidam homines* dicuntur. *Viri amplissimi* appellatio vel consuli, vel summo in re publica viro tribuitur, ut Pompeio: conf. Planc. § 25 et 35. De ipso tumultu illo non attinct exponere post diligentem annotationem Beieri ad Offic. Vol. I. p. 179; sed tantum intelligitur, perperam hic iungi *privatus interfecit*, quoniam id *privato* tribuendum erat, quod non nisi magistratui licuisset, caedes autem (nam hoc demum est *interficere*) ab unoquoque exspectari potest. Quanto melius Cicero Planc. § 88, *arma, quae privatus P. Scipio sumserat:* nam et *arma sumere*, et *sequi iubere* (conf. Vell. Paterc. II. 3) erat Consulis, qui cum imperio esset, ut apparet ex seditione Saturnini, quam describit Cicero Rabir. Perd. § 20: et ab eo errore cavit Offic. I. § 76, *nec plus Africanus, singularis et vir et imperator, in excidenda Numantia rei publicae profuit, quam eodem tempore P. Nasica privatus, quum Ti. Gracchum interemit:* nec dixit *privatus interemit*. Ipsum *interfecit* praeterea nimium est, et, quantum istarum rerum nobis aliunde

cognitum est, vix credendum Nasicam sua manu *interfecisse* Gracchum: Saturninum quidem servus Q. Crotonis occiderat, Rabir. Perd. § 31: de Ahala mox, secundum historiam, commemorat. Et tamen Philipp. VIII. § 13 Nasica dicitur *Ti. Gracchum interfecisse*, sicut Orat. II. § 132, *interfecit Opimius Gracchum.*

mediocriter labefactantem statum rei publicae. Non quaero nunc quam parum apte et vere Gracchi consiliis ulla *mediocritas*, i. e. moderatio, tribuatur: repugnat certe Cicero v. c. Lael. § 37. et 41: sed contendo *labefactandi* verbum ex eorum numero esse, quae nullum adverbium adsciscunt, et *mediocriter labefactare* tam ineptum esse, quam *mediocriter perfringere leges*, aut *mediocriter interficere.* Rursus, *statum rei publicae labefactare* defenditur exemplo Paradox. II. § 17, sicut Rabir. Perd. § 3 dicitur *auxilia rei publicae*, et Offic. II. § 78 *fundamenta rei publicae labefactare.*

orbem terrae caede atque incendiis vastare. Singula verba sine reprehensione sunt; sed *orbem terrae vastare cupere* Catilinam, nec dixit usquam Cicero, et ridiculus fuisset si dixisset. Illud *vastandi* consilium non nisi vel

urbem, vel Italiam spectabat. Igitur aliquanto melius scriptor infra § 21, *haec, quae iam pridem vastare studes*, i. e. urbem: cf. III. § 1: et infra § 29, *quum bello vastabitur Italia.* Et sic ipse Cicero Flacc. § 1, *quum — vastitatem a templis, delubris, urbe, Italia depellebam.* Pison. § 5, *ego L. Catilinam, caedem senatus, incendium urbis, non obscure, sed palam molientem, egredi ex urbe iussi:* et § 6, *iuravi, rem publicam atque hanc urbem mea unius opera esse salvam.* conf. ibid. § 15. Nusquam certe Cicero *orbem terrae* appellat, nisi ubi proprie fieri possit.

Catilinam perferre, in vitio est, nec potest verbum illud personae obiectum habere, sed usurpatur in rebus, quae ingratae ac molestae sint, ut *desiderium alicuius perferre*, et *molestiam*, et *sollicitudines*, *crudelitatem*: quumque Orat. II. § 77 dicitur, *ac mihi quidem non ita molesta sunt; facile omnes perpetior et perfero*, necessario intelligendum est (ut ex adiunctis apparet,) » perfero eorum loquacitatem, quum coram me disputant de rebus quas parum intelligunt." Sed nullo modo concedendum est ut dicatur *perferre aliquem cupientem quid facere;* quamquam licebat

fortasse *perferre Catilinae audaciam*, *furorem*, similiaque. Longe diverso sensu dicitur *sustinere*, in his Lael. § 41, *Carbonem*, *quoquo modo potuimus — sustinuimus*, i. e. coërcuimus.

nam illa nimis antiqua praetereo. Non decebat praeterire Ahalae facinus, propterea quod vetus esset, et tamen § 4 commemorare, quid *quondam* decrevisset Senatus. Sed *nimis antiqua* Livianum est, ut XXVIII. 42. 1. et XXXIV. 5. 10. 32. 11; h. l. oportebat *nimis vetera* dici. Orat. III. § 29, *quid ego vetera conquiram?* Prov. Consul. § 21, *ut vetera mittam.* Balb. § 55, *mitto vetera, proxima dico.* Fontei. § 2. *ut vetera mittam.* Quid intersit inter *vetus* et *antiquum*, non dubito quin saepe a viris doctis demonstratum sit, post Manutium ad Ep. ad Div. XI. 21: tamen operae pretium est animadvertere unum alterumque locum, veluti Verr. I. § 56, *vereor ne haec forte cuipiam nimis antiqua et iam obsoleta videantur*; ibid. V. § 45, *antiquae sunt istae leges, et mortuae.* Philipp. I. § 25., *ista nimis antiqua et stulta ducimus.* Legg. III. § 20, *ut ea quae iam prisca sunt relinquam.* Sermo est istic non de historiae eventibus aut praeclaris facino-

ribus, sed de privatorum moribus: itaque, quae recentissima sunt, ipsa quoque *antiqua* dici poterant, ut *homo antiqua virtute*, *antiquis moribus*. Orat. III. § 98, permutari inter se videntur *vetera* et *antiqua*; sed agitur de picturis, in quas utrumque cadit. Igitur philosophiam quamdam (ut vere mihi correxisse videor locum Orat. § 11) *antiquam et subobscuram* appellare poterat Cicero, non *veterem*. Tum, in earumdem propemodum rerum enumeratione quae h. l. explicantur, Legg. III. § 21, *cur autem vetera — proferam potius, quam — recentia?* Verr. IV. § 56, *nihil nimium vetus proferam*. Philipp. V. § 47, *maiores nostri*, *veteres illi*, *admodum antiqui*, quorum illud ad temporis intervallum, hoc ad opinionis indolem refertur.

Sp. Maelium novis rebus studentem. Languidius et infirmius hoc *novis rebus studere* de Maelio dictum est, quem pluribus locis perpetuo Cicero tradit, quod *regnum appeteret* necatum esse. De Maelio ut isto modo narret, concedatur Livio IV. 13. 6. VI. 35. 1. VIII. 27. 6.

manu sua occidit. Quamquam recte Latine dici videtur, intelligetur tamen h. l. sic inepte dici, collato Fin. II. § 66, ubi de Virginio di-

citur, *virginem filiam sua manu occidit potius, quam ea App. Claudii libidini — dederetur.* Operae pretium erat sic loqui de patris inaudito facinore, minus decebat de Ahala, qui iussu Dictatoris Maelium *interemerat*, ut loquitur Cicero Caton. § 56.

fuit, fuit ista quondam in hac re publica virtus, ut —. Per illam anaphoram imitari sane studet scriptor Ciceronem. Verr. V. § 45, *fuit ista res publica quondam, fuit ista severitas in iudiciis, ut —.* Ibid. § 175, *tulit haec civitas, quoad potuit — regiam istam vestram dominationem in iudiciis et in omni re publica; tulit.* Leg. Manil. § 32, *fuit hoc quondam, fuit proprium populi Romani.* Ideoque corrigendum est Fontei. § 32, *fuit olim maior talium virorum in hac re publica copia: — quid nunc vobis faciendum est, studiis militaribus apud iuventutem obsoletis?* edi solet *fuit enim.* Simplex *fuit* nihil aliud est nisi *praeteriit*, ut Sest. § 15.

in hac re publica virtus. Difficile est hoc probare, ut, quemadmodum modo *severitas iudiciis* tribuebatur, *virtus rei publicae* tribuatur, quam vix aliter interpretari licet, nisi aut *praestantiam*, aut *fortitudinem.* Tum, *ut viri fortes — coërcerent*, propterea imperi-

te dictum est, quoniam non tantum in optima, sed in quavis re publica idem a *viris fortibus* exspectandum fuerat. Aliquanto melius enuntiare potuisset sic, (omissis illis *viris fortibus*) *ut acr. suppl. civis perniciosus quam acerbissimus hostis coërceretur.* — Extra controversiam praeterea hoc est, scriptorem abuti pron. *ista*, quo (ut apparet e Verr. V. § 45; modo citato) tum uti licet, si res iam indicata est. — In primis autem violatur constans sermonis norma, quum recte per se dicatur *suppliciis coërcere*, (conf. Offic. III. § 23) primum quod *acria supplicia* dicuntur, quippe illud adiectivum non nisi cum illis substantivis coniungitur, quibus significatur id quod ipsum habeat vim intendendi, ut *homo acer*, et *cogitatio acris*, et *dolor acer: supplicium* dici potest *crudele*, non *acre:* tum quod in *hostem* numquam valent *supplicia.* Peccatur praeterea quum *civis perniciosus* dicitur, quod non defenditur exemplo Legg. III. § 24, ubi *perniciosi tribuni pl.* appellantur, quoniam in his potestas cogitatur perniciem afferendi; *civis* tantum aut bonus, aut improbus, aut e republica esse dicitur. Ne *hostes* quidem ipsos *acerbos* appellari decebat: nam *acerbum* dicitur id, quod dolorem affert, et molestiam creat, recteque dicuntur *acerbi*

inimici, Lael. § 90, quorum obiurgatio acerba est, quique ideo *dulcibus amicis* opponuntur: et omnino *acerbum* pertinet ad alicuius sensum, non ad damnum aut interitum, quae ab hostibus exspectantur. Aliquanto melius dicantur *acerrimi hostes*. In eàdem locutione peccat scriptor IV. § 15.

habemus senatusconsultum in te vehemens et grave. In his recte dicitur *habemus senatusconsultum*, nempe quo uti possimus, ut *habemus haec omnia*, ad Div. II. 6. 3. Sed quum eius Scti formula sollennis et notissima esset, non oportebat illud adiectivis describi. In rebus singularibus appellari et possunt et solent Scta gravia, ornatissima, honorifica: sed *vehemens* nullum appellare licebat, quoniam hoc adiectivum non nisi ad characterem vel hominis vel orationis describendum usurpatur. Vitiosissimum autem est, *Sctum in quem*. Quod si *de te* dixisset, defendi vix poterat hoc exemplo Sest. § 25, *promulgantur rogationes de mea pernicie*, quoniam erit hoc sic interpretandum, quae valerent ad meam perniciem.

non deëst rei publicae consilium neque auctoritas huius ordinis. Orat. III. § 3. Philippus consul dicitur *consilium senatus a re publica repudiare*, i. e. amplius uti nolle

consilio senatus in rebus publicis. Sed alio modo ipse senatus dicitur *publicum consilium*, aliud est *Senatus consilium*, i. e. prudentia, sicut dicitur Caton. § 19 ideo *summum consilium appellatum esse Senatum*, quod in senibus inesset *consilium*, *ratio*, *sententia*. Quid, si, quod extremum ponitur, *huius ordinis*, ad *auctoritatem*, non ad *consilium* referri dicitur? Orietur hoc, ut *rei publicae* non *desit consilium*, quod propterea probari nullo modo potest, quoniam rei publicae nec consilium, nec rationem tribuere licet, ipsaque se totam committit civium consilio.

auctoritas huius ordinis, i. e. Senatus, nihil aliud est in hac re, nisi ipsum illud Sctum. Igitur vitium cernitur in tautologia.

nos, nos, dico aperte, consules desumus. Quum *Consules deesse rei publicae* dicuntur, videtur hoc intelligendum esse, rem publicam nullos habere consules. Dixisset id, quod volebat, hoc modo: nos rei publicae discrimini desumus, aut simile. Sest. § 42, *scio non mihi vestrum studium, sed meum prope vestro defuisse.* Et omnino *deesse* sane in eo intelligitur, qui opem non fert, non operam, non officium praestat; sed tum recte dicitur, si prius significatum est, cui opem ferre necesse

sit: ut Muren. § 10: *ego — me existimarem nefarium, si amico — defuissem*, sc. patronus reo Murenae. II. 1. illud ipsum non praecedit, sed sequitur.

§ 4. *Decrevit quondam Senatus* —. Istud *quondam* vel in remotissimo tempore ponitur, vel, si in citeriori, ubi difficile est accurate definire. Neutrum valebat in Opimii facinore, cuius consulatus inciderat in A. U. 633.

ut L. Opimius consul videret. Nusquam solent in istiusmodi Scti mentione Consulum nomina poni: multo minus unius Consulis nomine defungebantur: nam quod exemplum est apud Livium III. 4. 9, *tantum terrorem incussere patribus, ut — Postumio alteri consulum negotium daretur, videre ne quid res publica detrimenti caperet*, tum factum est, quum alterum Consulum Sp. Furium cum exercitu ab hostibus obsideri nunciatum esset. Et, quamquam Opimii in consulatu collega, Q. Fabius Maximus in Gallia aberat, quum ipsi Italia provincia obtigisset, itaque in urbe esset, tamen non nominatim isti negotio praefectum eum fuisse suspicor, sed decretum, *videret consul:* et tamen Plutarcho Gracch. p. 841 B. licuit sic tradere, ut nunc scriptor huius orationis. Eadem de causa suspicor interpolata

esse nomina propria apud Ciceronem Rabir. Perd. § 20: *fit senatusconsultum ut C. Marius L. Valerius consules adhiberent tribunos pl. et praetores* —, quum praesertim hi ipsi consules, brevi post, suo loco appellentur. Sed, quamquam illud de Opimii nomine concedendum est, peccat scriptor in historia, quippe ipsa Scti verba, diversa ab his, citantur a Cicerone Philipp. VIII. § 14.

nox nulla intercessit. — Rectissime Cicero Verr. II. § 89, *una nox intercesserat.* Sed quo modo *nullam noctem intercessisse* interpretetur, difficile est assequi, tamquam si plures noctes, non interpositis diebus, praeterire possent. Muren. § 35, *dies intermissus aut nox interposita saepe perturbat omnia.*

interfectus est propter quasdam seditionum suspiciones C. Gracchus. Perverse hoc sic enuntiatur. Senatusconsultum factum est propter illas suspiciones, eoque imperio munitus Opimius interfecit Gracchum, ne quid res publica detrimenti caperet. — Tum ridicula attenuatio est eorum, propter quae Sctum illud tum conditum fuit, et longe abest ab iis quae Cicero tradere solet, veluti Legg. III. § 20, *C. Gracchus nonne omnem rei publicae statum perturbavit.* Igitur non erant *suspicio-*

nes tantum. Vitiose praeterea plur. *seditiones* ponitur, quae perpetuo singulae sunt.

clarissimo patre, avo, maioribus. Haec commendatio aliquoties iisdem verbis a Cicerone usurpatur, ut Sest. § 126. Planc. § 32. Philipp. III. § 25. Flacc. § 52, sed ubique ita ut in primis deceret: h. l. ista inepta sunt.

occisus est cum liberis M. Fulvius, consularis. Nec assyndeton probandum est, et puerilis variatio est, *occisus*, post *interfectus.* Fulvium autem *cum liberis* occisum esse, inproprie dictum de *duobus filiis adolescentulis*, quod patri in illo tumultu adfuisse intelligimus, ut exstat Philipp. VIII. § 14.

simili senatusconsulto. Exponitur hoc Rabir. Perd. § 20. Nec tamen recte dicitur *permissa res publica*, quod multo latius patet, quam *ut imperium populi Romani maiestasque conservaretur.*

num unum diem —. Constans observatio est, partic. *num* non tantum ita usurpari, ut responsum negans necessario exspectetur, sed praeponi quoque ei ipsi, quod negandum sit, nullis aliis interpositis. Itaque *num unum diem* hoc responsum tulisset, »non, sed plures dies." Nisi variare voluisset scriptor orationem, dicere licuisset »num intercedere noctem passi sunt."

postea h. l. ineptum et improprium est, quoniam hoc adverbium per se ad maius temporis intervallum pertinet. Quod consules tum perfecerunt, non *postea*, sed continuo et statim factum est.

L. Saturninum — mors et rei publicae poena remorata est. Supra iam significavi, prava ambitione omnia illa nomina propria et cognominis et dignitatis mentione ornari. Sed perversissime ita loquitur scriptor, quoniam *remorari* idem fere est quod retardare, suspensum tenere, ita ut mora interiecta sit ne quid fiat, aut ne quis quid perficiat. Cicero Att. III. 14. 1, *Scio te me iis epistolis potius et meas spes solitum esse remorari*, nempe, ne desperem. Leg. Manil. § 40, de Pompeii in bello gerendo celeritate, *illum eae res, quae ceteros remorari solent, non retardarunt.* Salustius Iugurth. XXXVIII. § 8: *nox atque praeda castrorum hostes, quo minus victoria uterentur, remorata sunt:* eodemque modo *morari aliquem*, aut *aliquid*, dici solet. *Mors* igitur Saturninum *impedire* potuit quo minus nefario sua consilia perficeret, sed nullo modo dici potest *eum remorata esse*, siquidem mors non retardat, sed plane extinguit consilia eius qui moritur.

Ne *rei publicae poena* quidem in ea loquendi forma ferendum est. Tum, solet hoc in plurali enuntiari. Cicero Sest. § 140, *omnes fere rei publicae poenas aut praesenti morte aut turpi exsilio dependerunt.* Hoc quoque vitiosum, quod *rei publicae* Genitivum cum *poena* coniungit, quum perpetuo eius rei Genitivus addatur, propter quam quis puniatur. Nullae sunt *poenae rei publicae:* sed, ut in illo Sestianae loco, et Lael. § 37, per Dativum dicitur *rei publicae poenas dependere*, aut *solvere*, quod ipse scriptor servavit recte IV. § 10. Dicuntur quoque *legum iudiciorumque poenae*, i. e. quae legibus ac iudiciis definitae sunt, Fin. I. § 47, id quod non cadit in *rem publicam:* itaque *poenas legibus et iudicio dare* dicitur, ut Brut. § 241, et Pison. § 50 *poenas patriae diisque immortalibus pendere.*

vicesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Sic hoc dictum est, (*vicesimum iam diem*), quasi quotidie hebescere potuerit: ita enim significatur continuatio per illud tempus, per Accusativum. Sine vitio esset, »*nos cunctando hebescere patimur* —". Sed prorsus repugnat sermonis ingenio, ut *auctoritati* tribuatur *acies;* quae figura probari potest in *ingenio*, aut in *mente*,

quam acuere licet, in *auctoritate* non nisi vis, aut gravitas appellari. Igitur ad Div. VI. 1. 5, *dolebam pilis et gladiis, non consiliis neque auctoritatibus nostris de iure publico disceptari.* Igitur ne Scto quidem convenit, ut eius *acies* dicatur: quo ipso excluditur verbum *hebescere*, propterea quoque ineptum, quoniam *hebescere* et *languere* iis tantum tribuitur (ut Acad. II. § 6) quae ipsa agendi potestatem habent. Postremo, Sctum non erat *horum* i. e. senatorum, *auctoritas*, sed Senatus: ne *patres* quidem simpl., pro *senatu*, a Cicerone appellari memini, ut saepe apud Livium.

verumtamen inclusum in tabulis. Abutitur scriptor coni. *verumtamen*, cuius vera haec sententia est, ut significetur id, quod dicatur, fieri non obstante eo quod praecedat. Igitur horum verborum interpretatio erit, »quamquam »habemus Sctum, tamen est id inclusum in »tabulis:" satis ridiculum. Satis fuisset *sed inclusum* —. Tum illud ipsum *inclusum* vitiose ponitur in Scto. Multo melius Cicero Flacc. § 102, *tu inclusam in literis rei publicae pestem deprehendisti*, i. e. coniurationem, cuius manifestum indicium e literis illis prodibat, ante minus cognitam. Et omnino

inclusum appellatur id, quod nondum palam prodiit, ut Pison. § 16, *omne odium, inclusum nefariis sensibus impiorum, in me profudistis*. Philipp. X. § 7, de Bruti laude, *quae gratissima memoria omnium civium inclusa nondum publica auctoritate testata est:* ideoque *abditus* et *inclusus* iunguntur ibid. § 21. Hinc intelligitur, quam impropria sit similitudo *gladii in vagina reconditi*, in quo ipso peccatur, quoniam *gladius* tum in *vaginam reconditur*, si prius *eductus est*, ut est apud Ciceronem Invent. II. § 14.

quo ex senatusconsulto confestim interfectum te esse convenit. Haec tum demum recte dicerentur, si Scti verbis caedes Catilinae imperata fuisset. Igitur multo melius Cicero Pison. § 77, *consulibus ex Scto rem publicam defendentibus*. Tum improprie ponitur *convenit*, i. e. utile fuisset, pro *oportet*, quo recte in hac re utitur scriptor § 5 et 9.

vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Non dicitur *vivere ad quid faciendum*, sed *vivere ita ut quid facias*. Praep. *ad* cum eo verbo componitur in termino significando, ut, *vivere ad summam senectutem*. Et omnino illa constructio (*ad faciendum*) in iis tantum ferri potest, in qui-

bus ipsis quaedam vis aut auctoritas insit, ut, *homines comparare ad caedem faciendam.* — Porro, *deponere audaciam*, aut *furorem*, aut *amentiam*, quaeque sunt huius generis, minus proprie dicitur, quam *consilia nefaria deponere.*

cupio me esse clementem, cupio — me non dissolutum videri. Inepta primum est illa anaphora. Sed, *me esse clementem cupio*, vitiosissimum est, multoque melius alterum *videri.* Nempe, *cupio me esse* tum ponitur, quam quis ipse se commendare, aut crimen a se avertere studet. Planc. § 80, *quum omnibus virtutibus me affectum esse cupio, tum nihil est quod malim, quam me et esse gratum et videri.* Legg. I. § 4, *ego me cupio non mendacem putari*, ad Div. V. 8. 3, *is enim tu vir es, et eum me esse cupio, ut — coniunctionem amicitiamque nostram utrique nostrum laudi sperem fore.* In his omnibus, quod in ea forma dicendi inesse ratio docet, apparet modesta professio suarum laudum. Quid autem hic scriptor? Utitur ea forma in excusando, et Consulem sic loquentem inducit, quasi excusaret omissum officium, quum nondum fecisset quod fieri oportuisse ipse dixisset, itaque excusaret eam naturae suae lenitatem et mise-

ricordiam, quam aliquoties Cicero in oratione Pro Sulla (v. c. statim initio, et passim) commemorat.

Miro nunc asyndeto subiicitur id, quod *clementiae* contrarium est, *nec dissolutum*, quod idem est atque *satis severum*, aut *diligentem*. Conf. Philipp. VI. § 1 et 7. Quinct. § 38. Verr. IV. § 115. V. § 7. 19, ubi *clementer* et *dissolute* inter se opponuntur, et § 104, ubi *vehemens* et *dissolutus*.

sed iam me ipsum inertiae nequitiaeque condemno. Post illam severitatis professionem sequi oportebat, *et tamen me ipsum* —. Ingenti errore autem usurpat *inertiae* et *nequitiae* vocabula, quibus sic delectari scriptor videtur, ut iis iterum, in eadem re, § 29 utatur, ubi ista opponuntur *severitati* et *fortitudini*, quo adeo cumulatur peccatum, vitio oppositionis. Etenim *inertia*, quae iungi potest cum *segnitie* (Orat. I. § 185), deprehenditur in *fuga laboris:* itaque recte ad Div. XII. 20, *quod si, ut es, cessabis, lacessam, nec tua ignavia etiam mihi inertiam afferet*. Sed in Cicerone Consule non industria et scientia postulabatur, sed promptus animus et vehemens in agendo; cui non *inertia*, sed *ignavia*, et *mollities* et *lenitas* opponitur, quas postremas

appellat ipse Sull. § 19. Minus etiam, si fieri potest, *nequitia* h. l. appellanda erat, quae primum *frugalitati* opponitur, tum in *flagitio* et *libidine* cernebatur. Non opus esse arbitror illud exemplis demonstrare.

§ 5. *castra sunt in Italia — molientem.* Offendimur eo, quod haec neque cum superioribus iunguntur, neque ulla conclusione in sequentibus illustrantur, quo pertineant. Si modo addidisset post illa omnia, *et tamen nihil a me in te susceptum est.*

Castra sane in hac re commemorantur Sull. § 33, sed in iis Catilina esse dicitur *ad occasum interitumque rei publicae*, non *contra rem publicam* ipsa *castra locata esse.* Poterat exercitus comparari contra rem publicam, aut quidvis aliud suscipi: sed *castra habere*, aut *locare*, non attingit talia consilia: multumque diversum est quod de Catulo dicitur, Brut. § 222, quem *in praesidiis rei publicae collocemus.* — Quum porro dicitur *in Italia — in Etruriae faucibus*, manifestum est non tantum abundare verba *in Italia*, sed inepta esse, et hoc tantum historiae convenire, quod dicitur *in Etruriae faucibus:* apud Ciceronem quidem, Sull. § 53, non nisi *Etruriae occupandae* mentio fit. *Fauces Etruriae* h. l. perpe-

ram appellari, demonstravit Rinkes.

crescit in dies singulos hostium numerus. Aliquid interesse inter *quotidie* et *in dies singulos*, intelligitur ex Att. V. 7, *quotidie, vel potius in dies singulos breviores literas ad te mitto:* nam *quotidie* idem fieri dicitur, *in dies singulos* literae breviores erant ita, ut deinceps quae hodie darentur breviores essent, quam quae heri. Et omnino *singuli* ubi dicuntur, ratio habetur eius sive momenti, sive numeri, qui alius alii de singulis illis tribuendus sit. Hoc modo intelligenda sunt haec, Muren. § 25, de Cn. Flavio, qui *singulis diebus ediscendos fastos populo proposuerit*, i. e. non quotidie proposuit, sed fastos, qui singulis diebus alii essent. Sic quoque intelligo Att. II. 22. 3, *ita nos gerimus, ut in dies singulos et studia in nos hominum et opes nostrae augeantur*, i. e. ut quovis die maior quam priori accessio fiat. Vix credibile est scriptorem huiusmodi quid voluisse, ut quovis die maior quam praecedenti die accederet hominum numerus ad illum Catilinae exercitum; quod tamen significare ita licebat, *quotidie maior fit hostium numerus.*

imperatorem castrorum vitiose appellat scriptor, quum non nisi *exercitus imp.* dicatur.

Nec omnino decebat in Catilina *imperatoris* nomine abuti, quem satis erat *ducem* appellare, ut Cicero facit Sull. § 33.

intra moenia atque adeo in senatu videmus. Recte editores haec a seqq. distinxerunt, quippe vix probari poterat si dixisset *videmus Catilinam molientem.* Sed non liberatur oratio alio vitio, quippe non *intra moenia videmus*, sed *intra moenia versari videmus* dicendum erat.

intestinam aliquam quotidie perniciem rei publicae molientem. Dicitur *malum intestinum*, quod domi nascitur, et *bellum intestinum*, quod opponitur externo: sed neque *pernicies rei publicae*, neque *interitus*, neque *occasus*, neque *pestis intestina* cogitari potest, quippe ista omnia universam rem publicam attingunt. Tum, satis ridiculum est *aliquam perniciem rei publicae* appellari, tamquam si *pernicies*, aut *interitus* diversa genera aut modos pateretur: igitur in simili vitio est II. § 1, *nulla pernicies.* Postremo, *quotidie perniciem moliri* ideo repudiandum, quoniam *moliendi perniciem* una et continuata actio est, unum idemque consilium, ut ipsa coniuratio, in qua nullo modo quis dicat, *quotidie coniurare.*

si te iam comprehendi, si interfici iussero. Reliqua recte Latine dicta, vitiantur addito *iam*, i. e. nunc, statim: quoniam *si iussero*, ut constans est sententia istius futuri exacti, nullam praeterea temporis definitionem admittit, nihilque aliud addi, nisi quod dein statim futurum est: et melius illud adverbium omittitur infra § 12. Apponam unum de multis exemplum, in primis huic loco aptum. Agrar. I. § 24: *Quum vero scelera consiliorum vestrorum — ostendero, verendum, credo, nobis erit, ne vestra ista praeclara lex agraria magis popularis esse videatur:* conf. Planc. § 64. Nunc, quandoquidem istud iussurus Consul non erat, oportebat eum dicere, *si iuberem, esset mihi verendum.*

credo, erit verendum mihi, ne non hoc potius omnes boni serius a me, quam quisquam crudelius factum esse dicat. In usitatissima, quam scriptor Ciceroni sublegit, dicendi forma duplici modo peccatur. Primum, ironiae indicium illud, *credo*, si in sententiae apodosi usurpatur, non initio poni solet, sed altero aut tertio loco, ut modo vidimus in Agrar. I, tum Orat. I. § 250: *si iam sit causa aliqua ad nos delata obscurior, difficile, credo, sit cum hoc Scaevola communicare.*

Fin. I. § 7: *si plane sic verterem Platonem aut Aristotelem, male, credo, mererer de meis civibus:* idemque servatur Pison. § 31 et Planc. § 72. Tum prave collocata est negatio *non*, quam praemitti oportebat, in hac enuntiandi forma, ei ipsi quod quis speraret aut exspectaret; sicuti duo exempla confirmant quae Zumptius excitavit in Gramm. Lat. § 535. Sic quoque Agrar. I. § 25, *pertimescam, credo, ne mihi non liceat contra vos in contione consistere,* non *ne non mihi* —. Verr. II. § 118, *vereri non debeo, ne quis hoc, quod facio, non existimet me summi officii ratione impulsum suscepisse,* non *ne quis non hoc* —. ad Div. II. 5. 2: *non quo verear, ne tua virtus opinioni hominum non respondeat,* non *ne non tua virtus* —.

Ne reliquorum quidem huius sententiae verborum delectu magnopere delector, quum praesertim *serius* et *crudelius* inscite inter se opponuntur: quae ratio soleat intercedere inter huiusmodi Comparativos, novit unusquisque vel ex iis exemplis, quae apposuit Zumptius l. c. § 690. Ipsum quoque *serius* vix eiusmodi Comparativus est qui cum altero iungatur, siquidem propria significatione ponitur Orat. III. § 75, ad mysteria *biduo serius veneram.*

quod iam pridem factum esse oportuit. Dubitare licet, an *iampridem* in illo brevi intervallo viginti dierum recte ponatur. Tum in vitio est *oportuit*, quod Perfectum non nisi in eo, quod vere factum sit, usurpatur, itaque h. l. indicat *factum esse* id, quod tamen in reliquis perspicue dicitur *non factum esse.* Exemplum est hoc, Planc. § 8: *si a populo praeteritus est, quem non oportuit:* refertur ad Laterensem, qui praeteritus erat. Sic explicandum est id, quod est Acad. II. § 10, *totam enim rem Lucullo integram servatam* (al. *servari*) *oportuit:* quibus verbis indicari puto, revera eam rem integram Lucullo servatam esse, ita ut ex iis quae statim subiiciuntur, *et tamen fortasse servata est*, abiiciendum sit *tamen;* itaque occurrit Catulo, qui modo dixerat, id quod quaereretur *paene explicatum esse.* Contra Imperfectum ponitur, *oportebat*, in ea re quae facta non erat, ut Rosc. Amer. § 53, *enumerare causas omnes oportebat:* eamque rationem sequitur scriptor § 2 et infra § 9. Neque Zumptius l. c. § 518, nec Madvigius Gramm. Lat. § 389 perspicue satis de hac lege tradunt.

tum denique interficiere. Abutitur partic. *tum denique*, quae post plurium rerum enumerationem velut in extremo, quod exspectaba-

tur, usurpari solent. Orat. II. § 315: *hisce omnibus rebus consideratis tum denique id, quod primum est dicendum, postremum soleo cogitare, quo utar exordio.* Pro Scauro § 22: *dicam enim primum de ipso genere accusationis; postea de Sardis; tum etiam pauca de Scauro; quibus rebus explicatis tum denique ad hoc horribile — crimen accedam.*

qui id non iure factum esse fateatur. Perridicule haec ita enuntiat, ut primum unusquisque fateatur factum esse, dein id ipsum fiat.

praesidiis oppressus. Quum satis constet *praesidia* ad defendendum valere, praestat aliquo modo altera lectio *obsessus*, quod ipsum tamen vix defenditur loco Agrar. II. § 75: *totam Italiam suis praesidiis obsidere atque occupare*, quod paulo post dicitur *suis opibus obsidere*, ibidemque *vestram libertatem suis praesidiis et coloniis interclusam tenere.* Idem alio modo dixerat Agrar. I. § 16: *quam* (Italiam) *praesidiis confirmaretis, coloniis occuparetis, omnibus vinclis devinctam et constrictam teneretis.* Scilicet *obsidere* istic, ut in multis aliis exemplis, idem est quod *occupare*, sicut Antonius dicitur *senatum obsedisse*, Philipp. VII. § 15: unde apparet loca

obsideri posse: sed quo modo, quaeso, homo obsideatur?

ita vivis — ne commovere te contra rem publicam possis. Falsa syntaxis, quoniam post *ita* necessario *ut* requiritur: et, in magno numero exemplorum, non nisi hunc unum locum novit Beierus ad Offic. I. § 88, in quo *ita-ne* iungerentur. Ne hoc quidem probaretur, si iungere liceret *obsessus ne-possis.* Inscitiam vitasset si scripsisset *ut te commovere non possis.* Quis Latine dici hoc, verbi causa, acciperet: iste tam multa de suo profudit, ne quidquam suis moriens relinqueret? Superest illud, *commovere se contra patriam*, ideo vitiosum, quoniam Cicero *commovere se* perpetuo absolute ponit, nullumque obiectum in ea locutione intelligit: igitur tum *loco se commovere* dicitur, tum de quocumque motu aut gestu, sicut Orat. II. § 233: *quis sese commovere potest, cuius ille* (Roscius) *vitia non videat?* Sed neque istud dicere licebat, neque *vivere contra rem publicam*, nec quae horum similia sunt. Rursus in idem vitium incidit scriptor § 7 fin.: *multorum te etiam oculi et aures non sentientem, sicut adhuc fecerunt, speculabuntur atque custodient.* Horum verborum et singula exploranda sunt, et

eorum compositio. Coniunctio *etiam*, verbi causa, secundum perpetuum usum hoc indicare intelligitur, aliquanto maius esse *multorum oculis speculari Catilinam*, quam ipsum *consulis praesidiis obsessum esse.* Non puto quemquam hoc defensurum esse. *Multorum oculi te speculabuntur atque custodient*, imitari conatur Ciceronem, cuius haec sunt, Legg. II. § 37, *diligentissime sanciendum est ut mulierum famam multorum oculis lux clara custodiat;* quum in ipsa lege praeceperat, nocturna mulierum sacrificia ne essent, § 21. Rursus, Philipp. XII. § 22: *quum essem in urbe ac domi, tamen multa saepe tentata sunt, ubi me non solum amicorum fidelitas, sed etiam universae civitatis oculi custodiunt.* Perspicuum est, (quod ratio ipsa postulabat), *custodire quem* ita dici, ut simul sit *salvum velle et intactum:* ideoque aliquoties *custodia* iungitur cum *vigilia* et *praesidio.* Quid igitur est *Catilinam custodire?* Et immane propemodum est hoc fingere, ut *in oculos multorum tamquam in custodiam* traditus cogitetur. Id, quod voluit scriptor, melius sine dubio Cicero dixit Verr. III. § 3, *vitam suam pluribus quam vellet observari oculis arbitrabatur*, scilicet, si quid minus honeste age-

ret. Sed non contentus scriptor eo, quod *oculi custodire* dicuntur, adiunxit primum *aures*, tum *speculari*. Si quodammodo concedatur, ut *aures* dicantur *custodire*, non certe poterunt *speculari*: et sublegisse hoc verbum videtur Ciceroni, qui Flacc. § 57, *speculatur atque obsidet rostra vindex temeritatis et moderatrix officii curia*. Sed ita illud *speculari* tribuitur Senatui, ut simul coërcendi potestas et moderandi significetur, si quid commissum esset in contione, cuius generis nihil est in illo *oculi speculabuntur*. Et ipsum verbum patiebatur hoc, ut diceretur *multos oculis speculari*, non item ipsos *oculos speculari*.

non sentientem, sicut adhuc fecerunt. Prava et inscita collocatio verborum. Oportebat enim arcte coniungi *non sentientem custodient*. Hanc rationem perpetuo servat Cicero, sicut in hoc simili intelligitur, *Ariobarzanem — praesentibus insidiis nec opinantem liberavi*, ad Div. XV. 4. 6: semperque verbum statim subiicitur ei ipsi, unde verbi maior vis intelligitur. Sic Verr. III. § 213, *Antonium — in mediis iniuriis eius et cupiditatibus mors oppressit*, i. e. nihil exspectantem: nec ante duo postrema vocabula interposuit, ex sequentibus, *quae tamen facta et consilia senatus*

populusque Romanus numquam comprobaverunt. Tum illud *non sentientem*, quid vult? Nam *sentire* aliorum *oculos custodientes*, proprie quidem nemo dixerit. Igitur hoc videtur dicere, Catilinam non attendere, non animadvertere multorum oculis se observari; quod tamen ipsum, nisi quid praeter oculorum coniectum accedat, difficile est animadvertere. — Postremo, *sicut adhuc fecerunt* perperam illis, *non sentientem*, subiicitur. In eiusmodi etiam explicatione idem servari oportet subiectum, quod est in antecedenti: contra h. l. *non sentientem* ad Catilinam, *fecerunt* ad oculos multorum pertinet. De innumerabilibus exemplis apud Ciceronem ponam hoc unum, Orat. I. § 230, *quamvis scelerati illi fuissent, sicuti fuerunt.*

Haec quum descripta erant, tradidi Bootio et Rinkesio, viris amicissimis, quorum hic totam controversiam me auctore, ante aliquot annos, suo marte et singulari acumine exploraverat, edita Disputatione *de Oratione Prima in Catilinam a Cicernne abiudicanda*, ille eius sententiae acer adversarius prodierat, singulari

eius Orationis editione, a. 1857, ab iisque hoc impetravi ut mea illa considerarent, meque admonerent si quid minus recte a me doceri videretur. Ex hoc consilio fructum tuli non spernendum: partim enim mea confirmabantur, partim eorum oppugnabantur explicatis rationibus. Igitur decrevi, omissis illis, ea tamen quae mihi docte et acute obiicerentur, hic subiicere, singulasque dubitationes excutere.

Dixi de verbo *eludere*, pag. 50. Rinkesius requirit interpretationem loci Pison. § 82: *quod quidem tu, qui bene nosses coniunctionem meam et Caesaris, eludebas.* Ferratius sic explicabat: »non serio me provocabas ad te »accusandum, sciebas enim id me non facturum »propter Caesarem." Non patiuntur hanc interpretationem reliqua quae istic adduntur, in quibus satis apparet Pisonis impudentiam et iactantiam notari, quod istud a Cicerone requireret, tum in ipsa illa impudentia animadverti (quod ei contrarium videbatur) Pisonem hoc fecisse *trementibus omnino labris, sed tamen* —. Igitur, *quod eludebas* i. q. in quo eludebas.

Nocturnum praesidium quum improbassem, p. 53 duo exempla mihi obiicit diligentissimus Rinkesius, Rosc. Amer. § 19 et Verr. IV. § 95. Sed, *horae nocturnae* appellantur, quae inter-

vallo quoque a *diurnis* diversae sunt, non quasi noctis tantum, non diei horae numerarentur: et in Verrina, Verris imperatoris *nocturni milites* satis acerbe in illo negotio appellantur, quasi *fures nocturni*.

Notaveram pag. 58, pron. *hi* a Cicerone usurpari solere de iudicibus, non item de Senatoribus in orationibus quas in senatu pronuntiaret. Opponit mihi R. locum Pison. § 18 med., ubi e Palimps. Taurin. edidit Orellius *his*, pro eo quod omnes reliqui libri habere videntur, *iis*. Minuta res est, nec tamen negligenda, si quis ad orationis proprietatem attendit. Ut nonnulla alia, ita *his*, et *iis*, et *hiis* innumerabilibus locis in Codd. inter se permutantur, neque ulla in tam constanti perturbatione Codd. auctoritas est. Permutari autem ista temere non patitur singulorum propria vis. Et in Pisonianae illo loco sermo est non de senatoribus qui tunc aderant, sed de eo Senatu, qui tribus annis ante fuerat. Igitur, quum recte dixisset, *quis hoc fecit ulla in Scythia tyrannus, ut* EOS, *quos luctu afficeret, lugere non sineret?* subiicit, de istius anni senatoribus, *quodsi vestem patres conscripti — misericordia mutavissent, id* IIS *non licere — potestatis erat non ferendae*. Omnia ista de re

praeterita dicuntur. Si nunc ipsum consul id vetaret, queri tamen oportuisset Ciceronem *id iis non licere*, quoniam *ii* ad praeced. *patres conscripti* refertur, *hi* eiusmodi relationem non admittit. In alia sententiae descriptione ferri poterat illud pronomen, v. c. *qui vestem mutarent misericordia, his id non licebat?*

Reprehenderam usum verbi *patere*, pag. 58. Non concedo Rinkesio, obstare mihi locum Milonianae § 76, ubi Lambinus iam sensit, pro *patent*, legendum esse *parent*, i. e. demonstrata sunt, ut de iis ambigi amplius non possit.

Iterum dubitat R., an pag. 63 recte docuerim *immo vero* tum dici, quum corrigitur et negatur id, quod praecesserat, propter hunc locum in Partit. Orat. § 8: *omnibusne igitur ex his locis argumenta sumemus? Immo vero scrutabimur et quaeremus ex omnibus, sed adhibebimus iudicium —.* Si isto modo non corrigitur id quod praecessit, consequetur *scrutari* et *quaerere* idem esse quod *sumere:* id quod non facile quis concessurus est. Sed una litera, per errorem iterata, si abiicitur, orietur *et adhibebimus iudicium*, quod cum praecedd. coniunctum hanc praestat sententiam, ut dicat, »non ex omnibus locis sumen»da sunt argumenta, sed contra, scrutari nec-

» esse est quae conveniant, multaque reiicere." Exemplis supra a me excitatis addo Verr. I. § 81.

Pag. 67 in Rosc. Amer. § 151 videbatur mihi *consilium publicum* vitiose appellari. Defendit R. ita ut dicat, in illo iudicio, ex lege Cornelia, iudices omnes Senatores fuisse. Refutat hanc explicationem prudens Hottomani annotatio, qui tamen ipse ista locutione non offendebatur, eamque multis verbis tueri conatur. Nec sane quidquam praesidii isti explicationi praebent haec Catuli verba, recitata a Cicerone Verr. Act. I. § 44: *patres conscriptos iudicia male et flagitiose tueri:* neque quod Verr. I. § 4 iudices designantur nomine *senatorii consilii.* Igitur istud *consilium publicum* mihi ab illo Roscianae loco alienum esse videbatur: addo, longe diversum quid exspectari propter concinnitatem oppositionis (*perfugium sectorum*), v. c. *auxilium* cum idonei nominis Genitivo. Sed hariolari non lubet. — Quumque, p. 66, *Senatum* tollendum dixissem e loco Agrar. II. § 88, recte monet Rinkesius, e Sest. § 137 (*ut consilium senatus rei publicae praeponerent sempiternum*), abiiciendum esse *senatus.*

Quod pag. 74 explicueram, quo modo diceretur *conferre quid in quem*, nempe de eo qui

alteri bene vellet, obiicit mihi R. dici tamen solere *culpam conferre in quem.* Sed hoc diversum est, et Graece dicitur ἀναφέρειν. Diligentius explicare potuissem, *conferre*, isto modo de quo agitur, non nisi id dici, quod ab eius qui conferat proprio studio et voluntate proficiscatur.

An vero, dixeram pag. 75 non novam posse inchoare interrogationem, sed eam, quae opponeretur antecedentibus. Atque sic Milon. § 33 et 62, ubi quum proposuisset quae omnibus cognita essent, quaerit e iudicibus, *an vero vos ignoratis, vos obliti estis?*

Novis rebus studere, de Maelio dixeram, pag. 81, languidius et infirmius esse. R. addit nusquam reperiri hanc locutionem apud Ciceronem. Facile credo: nam ipsa per se vitiosa est. *Novae res* possunt *exspectari*, ut ad Div. XV 1. 3 et 4. 14: et vel *sperari*, vel *cogitari*, ut Sest. § 110: et *rerum novarum causa quaeri*, Agrar. II. § 91, ut, *novos motus conversionesque rei publicae quaerere*, Sest. § 99. Contra, *studemus* ei aut rei aut homini, id est, eam studio nostro et fortasse amore complectimur, quae iam est, non ei quae futura est.

Quod scripsi p. 87, discedere scriptorem ab

historia, quod verba Scti, quo Opimius usus esset, alia exstarent apud Ciceronem Philipp. VIII. § 14., non concedit mihi Bootius, hoc argumento motus, quod eodem modo variatur apud Ciceronem in commemorando Scto quo C. Marius, L. Valerius Coss. usi essent: vid. Philipp. VIII. § 15 Rabir. Perd. § 20.

De illo, *remorata est* (p. 89), admonet, me B. satis defensum esse quum ab aliis, tum a Madvigio. Alios illos nunc minus curo: sed operae pretium est audire Madvigium, πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων. Hic igitur, Opusc. Acad. I. p. 186 sic: »graviter homines sceleratos quasi »exspectasse iam nimis diu mortem ac poenam »dicit, quae dudum debita eos quasi tarda re- »moraretur, quo minus eo, quo ruerent, per- »venirent aliquando. Rectum est igitur *remo- »randi* verbum." Hoccine est interpretari? Fieri poterat ut isti conclusioni concederem, si modo intelligerem quae praemissa sunt. Omitto illud *graviter dicit*, quamquam difficile est vel umbram gravitatis in illa enuntiatione aspicere. Si ipse Madvigius haec verba omisisset, nemo haereret in illa obliqua oratione, utrum scelerati homines exspectavissent mortem ac poenam, an mors ac poena exspectavisset sceleratos homines. Sed utrumvis voluerit, sententia orie-

tur quae mihi quidem plane obscura est. Praeterea, quum videatur sceleratorum hominum appellatione Catilinam eiusque socios indicare, non sane *dicit* orator id, quod vult Madvigius, sed obscure tantum *significat*, cum quo verbo minus opportune iungitur adv. *graviter*. Porro, quod subiicitur ad explicandam et ad vindicandam scriptoris sententiam, neutri proposito satisfacit, quum dicit de illa *morte ac poena*, »quae dudum debita eos quasi tarda remorare»tur." Divinandum relinquitur quid sibi velit hoc, *mors* aut *poena aliquem remoratur, quo minus eo, quo ruit, perveniat*. Nam si *remorari*, i. q. *retardare*, orietur hoc, ut morte aliquis dicatur retardari in proposito perficiendo, ita ut is hoc non statim, sed aliquanto serius tamen perfecturus sit. Miror, et prope doleo praestantissimi iudicii virum verba tam desperata suscepisse defendenda, et, si dis placet, etiam explicanda, qui in eadem pagina acutissime, ut solet, locum corrigat in ad Div. XIII. 6, quum recte animadvertisset quam inepta ea essent, quae in editis ferrentur.

Quod autem defendit verba *rei publicae poena*, quasi esset pro *rei publicae nomine imposita*, aut, quo modo Bootius tuetur, *a re publica illata*, teneo nihilominus id, quod af-

firmavi, cum singul. *poena* non nisi Genitivum vel obiecti, (ut *sceleris est poena*, Legg. II. § 43) vel epexegeticum iungi posse, ut *poena exsilii*, numquam eius, qui poenam imponit. Remittit Madvigius eos qui dubitant ad sua in Epist. ad Orell. p. 122. Non poterat magis causae suae nocere. In ipso illo Verrinae loco (V. § 121) quem rectissime corrigit, fortuna dicitur nauarchos reservavisse *ad innocentium poenas*, i. e. qui ulciscerentur iniuriam innocentibus factam: (conf. ibid. § 113) Att. IX. 14. 2, *Bruti poenas persequi*, est Brutum ulcisci (ut Philipp. XIII. § 46 *poenas patriae persequi*), et hoc modo dicitur (Rosc. Amer. § 67) parentum poenas a *filiis sceleratis repetere*, et *Lentuli poenas expeti* (Flacc. § 95); et in Coeliana (§ 70), ubi quum exposuisset quid spectaret lex de vi, cum indignatione addit, *hac lege Coelii adolescentia non ad rei publicae poenas — deposcitur*, non expetitur a Coelio ultio iniuriae quam rei publicae intulisset. Haec si Madvigius iterum consideraverit, spero eum largiturum esse nihil inde praesidii prodire quo istam interpretationem verborum *rei publicae poena remorata est* in posterum tueri pergat, multumque hinc diversum esse, quum Brut. § 103 Gracchus dicitur *ab ipsa re publica interfectus*.

Damnaveram *convenit*, pag. 42. Opportune mihi in memoriam revocat R. hanc Mureti annotationem: »quaeram ecquis umquam, qui aliquem modo Latinae linguae sensum haberet, »ita locutus fuerit ut diceret, *convenit statim* »*id fecisse*, pro eo quod est, *statim id fe-* »*cisse oportuit.*"

Pag. 95 improbaveram *nequitiae* vocabulum istic a scriptore usurpatum. Dissentit a me Bootius, qui Madvigium quoque auctorem sequitur. Is nempe ad Fin. V. § 56, in eo vocabulo »inertiae et segnis mollitiei significationem in»esse" putat, laudatque hunc ipsum I^ae^ Catilinariae locum, et § 29. Si attendisset ad locum Tusc. III. § 17 sq., quo eiusdem interpretationis patrono utitur Goerenzius ad d. l. Fin., temere se pronuntiare sensisset: ex ipsa enim *frugalitatis* descriptione, cui virtuti *nequitiae* vitium contrarium dicitur, apparet hoc vitium esse eius, qui neque motus animi appetentes regat, neque adversetur libidini, neque in omni re constantiam servet. Quid autem isto loco Fin. agitur? Demonstratur hoc in natura inesse, ut animus semper agere aliquid appetat, utque ea cupiditas agendi aliquid adolescat cum aetatibus. *Quin etiam* (ita pergit) *inertissimos homines, nescio qua singulari segnitie*

(quae vera lectio est) *praeditos, videmus tamen et corpore et animo moveri semper* cet. Perspicuum esse credo e Coni. *quin etiam*, eiusmodi homines nunc commemorari, in quibus fortasse minus exspectanda esset illa *agendi cupiditas*, itaque videretur *inertia* et *segnities* illa excludere illam cupiditatem; quod quo modo de *nequitia* affirmari poterat? quae cum libidine, et flagitio et quodvis audendi audacia coniuncta est. Equidem putabam non opus esse talia exemplis firmari. Mira praeterea haec est Madvigii argumentatio, quum e diversis libris utramque lectionem commemoravisset, (*nequitia*, et *segnitie*) »quum igitur utraque fami»lia a se ipsa dissentiat, non dubium videtur, »quin verum sit *nequitia*." Non est hoc rationem sequi in critica factitanda, sed micare, et talos iacere. Ego, si omnium omnino librorum lectionem *nequitia* correxissem in *segnitie*, quod facere non dubitavissem, singularis et immanis temeritatis crimen in me concitassem.

II.

DISPUTATUR DE LEGE COMITIORUM APUD AESCHINEM TIMARCH. § 35.

Nihil conferri potest cum Atticorum Oratorum voluminibus, si quaeritur de legibus atque institutis quibus Athenienses illis maxime temporibus usi sint, deque omni et publicae rei et privatae disciplina. Sed in ea auctoritate usurpanda deprehendi subinde eos, qui sagacissime eius nobilissimae civitatis morem et indolem persequerentur, non nimis diligenter vel grammaticam interpretationem secutos esse, vel a veris falsa et commentitia segregasse, itaque non tantum, quae per se propemodum ridicula, certe incredibilia essent, affinxisse Atheniensium institutis, sed eadem levissima minimeque op-

portuna sollertia ornasse. Quos et quorum in eo genere errores his proximis annis alii viri docti arguerint, non attinet commemorare, multo minus si quid ipse ad eundem finem olim disputaverim, nisi quod, quum Aeschinis Timarcheae particulam nunc explorare constituerim, non poenitere me affirmo eorum, quae de ὕβρεως lege in ea Oratione descripta disserui in Epistola ad Hermannum p. XLVI sqq.

Sed quum nuper suscepissem argumenti gravioris, quodque latius patebat, explicationem, offendebam in Timarchea § 35 hanc legem, quam, ut legentium commodo consulam, integram appono ex editione Bekkeri.

Τῶν ῥητόρων ἐάν τις λέγῃ ἐν βουλῇ ἢ ἐν δήμῳ περὶ τοῦ εἰσφερομένου μὴ χωρὶς [ἢ περὶ ἑκάϛου], ἢ δὶς περὶ τοῦ αὐτοῦ ὁ αὐτὸς τῆς αὐτῆς, [ὅτι] ἢ λοιδορῆται, ἢ κακῶς ἀγορεύῃ τινὰ ἢ ὑποκρούῃ, ἢ χρηματιζόντων μεταξὺ ἀνηκέϛως λέγῃ περὶ τοῦ μὴ ἐπὶ τοῦ βήματος, ἢ παρακελεύηται ἢ ἕλκῃ τὸν ἐπιϛάτην ἀφειμένης τῆς ἐκκλησίας ἢ τῆς βουλῆς, κυριευέτωσαν οἱ πρόεδροι μέχρι πεντήκοντα δραχμῶν καθ' ἕκαϛον ἀδίκημα ἐπιγράφειν τοῖς πράκτορσιν· ἐὰν δὲ πλέονος ἄξιος ᾖ ζημίας, ἐπιβαλόντες μέχρι πεντήκοντα δραχμῶν εἰσφερέτωσαν εἰς τὴν βουλὴν ἢ εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν ἐν τῷ βουλευτηρίῳ. ὅταν διεξίωσι κλήσεις κρινάτωσαν· καὶ

ἐὰν καταγνωσθῇ αὐτοῦ κρύβδην ψηφιζομένων τῶν βουλευτῶν, ἐγγραψάτωσαν οἱ πρόεδροι τοῖς πράκτορσι [*τῶν νόμων*].

Minus miror huius legis et argumentum, quod incredibile, et formam, quam ineptissimam esse contendo, serio tractari a Schoemanno De Comitt. Athen. p. 115. not. 29 et p. 171. not. 2, quam sine ulla suspicione et aliis probari, et praecipue Boeckhio Oecon. Civ. Athen. I. p. 210. not. f. et p. 495. Edit. 2[dae]. Fac nihil esse quod in ipsa legis compositione et verbis offensioni esse possit, non tamen quemquam dubitaturum esse puto, si dicam eam alienissimam esse ab ea demonstratione quam in hac Orationis parte persequitur Aeschines. Tota eius *δοκιμασία*, cuius generis est haec actio, nititur crimine *ἑταιρήσεως*, quo ad hunc finem utitur, ut obtineat Timarchum ideo *ἄτιμον* esse, et arcendum *ἀπὸ τοῦ δημηγορεῖν*, neque aliud quidquam in eo arguit nisi flagitiosam vitam turpiterque inde ab adolescentia actam aetatem. Itaque modo ante, § 28—32, recensuerat quibus vitiis qui dediti fuissent lege arcerentur *ἀπὸ τοῦ βήματος*, in qua lege esset hoc; si quis, spretis illis tamen prodiret ad dicendum, huic *δοκιμασίαν ἐπαγγειλάτω Ἀθηναίων ὁ βουλόμενος οἷς ἔξεστιν·* et Heliaeam *περὶ τούτων ἐν τῷ δικαστηρίῳ διαγιγνώσκειν*

lex iubet. His breviter commemoratis, de more recitantur ipsae illae leges: ἀναγνώσεται οὖν ὑμῖν τοὺς νόμους τοὺς περὶ τῆς εὐκοσμίας κειμένους τῶν ῥητόρων. § 34. Quid autem eo pertinet ea lex, cuius formula subiicitur? Prorsus nihil; siquidem neque δοκιμασίαν vitae ante actae continet, et potestatem tribuit Proedris oratoris immodestiae quae exstitisset statim mulcta irrogata coërcendae, nihil ut Heliaeae decernendum relinqueretur. Igitur non huiusmodi legem, quae nihil attingebat Timarchum, sed illas tum recitatas fuisse apertum est: quas quum iudices audivissent, apte potuit Orator subiicere § 36: τούτους μέντοι τοὺς νόμους εἶναι χρησίμους ἢ ἀχρήστους ἐφ' ὑμῖν ἐςίν· ἐὰν μὲν γὰρ κολάζητε τοὺς ἀδικοῦντας, ἔσονται ὑμῖν οἱ νόμοι καλοὶ καὶ κύριοι, ἐὰν δ' ἀφιῆτε, καλοὶ μόνον, κύριοι δ' οὐκέτι, quae fieri nullo modo potest ut subiecta fuerint eius legis mentioni, quae κόλασιν ipsam Proedris tribuebat. Sed videri potest, dicat quis, hanc legem esse eam ipsam, quam modo dixit Orator latam fuisse ex indignatione istius παγκρατίου, quod in Timarcho exagitat § 26 et 33. Ne hoc quidem concedendum est. Quale fuit enim istud Timarchi παγκράτιον? ῥίψας θοιμάτιον γυμνὸς ἐπαγκρατίαζεν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, οὕτω κακῶς καὶ αἰσχρῶς διακείμενος τὸ σῶμα ὑπὸ

μέθης καὶ βδελυρίας, ὥςε τούς γε εὖ Φρονοῦντας ἐγκαλύψασθαι αἰσχυνθέντας ὑπὲρ τῆς πόλεως εἰ τοιούτοις συμβούλοις χρώμεθα. Ipsaque illa nova lex quid definiebat? Nempe ἀποκληροῦν Φυλὴν ἐπὶ τὸ βῆμα ἥτις προεδρεύσει, voluitque καθῆσθαι τοὺς Φυλέτας βοηθοῦντας τοῖς νόμοις καὶ τῇ δημοκρατίᾳ. Sed hanc legem ideo non recitari iubet Orator, quoniam alii, in quibus ipse Timarchus, eam γεγραμμένοι εἰσι μὴ (leg. οὐκ) ἐπιτήδειον εἶναι. Non tamen difficile est coniicere quo consilio ea lata fuerit, nempe, quum non satis praesidii esset in Proedris, ut in contione integrae Tribui auctoritas concederetur statim arcendi ἀπὸ τοῦ βήματος eius, qui manifesto impurus esset et impudicus, tradendique τῷ δικαςηρίῳ, ita ut non exspectare necesse esset, si quis exsisteret qui δοκιμασίαν ἐπαγγέλλειν susciperet, sed eam ipsa ἐκκλησία denuntiaret. Hoc suspicari licet ex his Oratoris verbis: ἔςι δ' οὐδὲν ὄφελος ζητεῖν τοὺς τοιούτους ἀνθρώπους ἀπελαύνειν ἀπὸ τοῦ βήματος ταῖς κραυγαῖς, οὐ γὰρ αἰσχύνονται, ἀλλὰ ταῖς τιμωρίαις τούτους ἀπεθίζειν χρὴ, μόνως γὰρ ἂν οὕτως ἀνεκτοὶ γένοιντο. Etenim neque ἡ προεδρεύουσα Φυλὴ, neque universa contio τιμωρεῖσθαι poterat τὸν αἰσχρῶς βεβιωκότα ᾧ οἱ νόμοι προεῖπον μὴ δημηγορεῖν (§ 3), sed, ut in aliis delictis, sua auctoritate tradere τῷ δικαςηρίῳ.

ita ut nemo privatus necesse haberet suo periculo actionem instituere. Nihil quod huc pertineat agnoscitur in ea lege, cuius oratio § 35 exhibetur, in qua subitae immodestiae cuiusdam coërcendae causa Proedri iubentur mulctam irrogare, ad eum finem, ne unius culpa aut temeritate publicae disceptationis ordo turbetur: contra, leges περὶ τῆς τῶν ῥητόρων εὐκοσμίας vitam ante actam spectabant, et, sicut dicitur § 195, οὐ τοὺς ἰδιωτεύοντας, ἀλλὰ τοὺς πολιτευομένους ἐξετάζουσιν.

Si, ut spero, obtinui legem istam, de qua agimus, alienissimam esse ab argumento et disputatione in qua versatur Orator, restat ut demonstrem eam commentitiam esse potius, quam veram, sed alieno loco per errorem interpositam. Nihil suboluit Schoemanno l. c., qui minutis quibusdam correctionibus adhibitis sinceram legis Atticae orationem restitui posse putat. Nos de singulis videamus.

Statim quod ab initio ponitur, τῶν ῥητόρων, eo fraudem arguit, quod ista appellatio usurpabatur sane in communi sermone, quum intelligantur ii, qui τοῦ λέγειν καὶ γράφειν vel in contione, vel in Senatu, munus occupare ac tueri solerent, sed aliena est a publicis documentis, sicut similis, οἱ πολιτευόμενοι· ne dicam,

articulo praeposito, τοὺς ῥήτορας, non nisi aut de certa classe hominum, aut de certo numero dici posse. — Ἐν βουλῇ ἢ ἐν δήμῳ, corrigendum sane est addito utrobique articulo: sed quorsum τῆς βουλῆς mentio? quum Proedrorum munus, quibus in hac lege mulctae irrogandae potestas tribuitur, intra ipsam contionem contineretur, nec in Senatu ulli Proedri cogitari possint, ipsique infra iubeantur causam graviorem εἰσφέρειν εἰς τὴν βουλήν. — Περὶ τοῦ εἰσφερομένου μὴ χωρὶς ἢ περὶ ἑκάστου. Non repugno Schoemanno, qui istud ἢ abiiciat: sed fugit eum, id de quo agatur in contione non dici oportere τὸ εἰσφερόμενον, sed τὸ προτεθέν, cuius locutionis usum ipse vindicat in eodem libro p. 104: sed dicitur et κρίσιν, et νόμον εἰσφέρειν. Ipsum illud χωρὶς περὶ ἑκάστου tum demum recte diceretur, si plura simul essent προτεθέντα· et si in una eademque causa plura essent consideranda, ne fieri quidem poterat ut quis ὁμοῦ περὶ ἁπάντων diceret. Fallitur autem vir doctissimus quum putat hoc praecipi, ne quis de alia re verba faceret, nisi de qua Proedri retulissent, multoque magis quum confirmari hoc praeceptum contendit loco Demosthenis in Timocratea p. 715. 12, si quidem istic de lege a Timocrate lata agitur, cuius ferendae veniam iste non ante, ut oportebat,

impetravisset: nec minus perverse et res et verba interpretatur, quum dicit illud ipsum, non licuisse de pluribus rebus simul dicere, docere Aeschinem initio Ctesiphonteae § 2: nam *χωρὶς καὶ ἐν μέρει περὶ ἑκάςου γνώμην ἀποφαίνεσθαι* indicat servari oportere ordinem aetatis in successione eorum, qui ad dicendum vocarentur. — *Ἢ δὶς περὶ τοῦ αὐτοῦ ὁ αὐτὸς τοῖς αὐτοῖς δηλονότι* (sicuti Reiskius ediderat). In his, velut glossam, damnat Schoemannus verba *ὁ αὐτὸς τοῖς αὐτοῖς δηλονότι*. Non intercedo. Sed quis credat, quum in iudiciis *δευτερολογία* concederetur, in populi contione dicendi disceptandique libertatem, quae saepe in altercationem excedebat, adeo circumscriptam fuisse, ut nec plura simul complecti liceret, nec, quod quis semel attigisset, iterum defendere? Multo verior et prudentior ea lex erat, quam commemorat Demosthenes in Leptinea p. 502 init., quae vetabat *δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν ὑπὲρ τῶν αὐτῶν* iudicium exerceri. — Subiicitur, *ἢ λοιδορῆται, ἢ κακῶς ἀγορεύῃ τινὰ, ἢ ὑποκρούῃ*, quorum singula inopportuna sunt. Primum *λοιδορεῖσθαι* et *κακῶς ἀγορεύειν* non attinebat cumulare, quae h. l. fere sunt eiusdem potestatis. Tum, *ἀρχὴν λοιδορεῖν* erat sane lege sancitum, sicut e Lysia novimus Veter. Emer. p. 320, sed *κακηγορίας* actio quum cuivis

laeso daretur, credibile non est eum, qui in contione alium quemcumque maledictis proscidisset, ista mulcta solvenda crimine liberari potuisse. Cogitari poterat λοιδορεῖσθαι τῶν προέδρων τινά, si modo hi eodem loco essent habendi quo οἱ ἄρχοντες· tum infra de industria sermo est de vi Epistatae illata. Ipsum ὑποκρούειν, *obturbare*, proprium esse puto sermonis communis, non eius quo Leges enuntiari solebant. Accedit quod vix in oratorem, qui e suggestu verba facit, hoc cadit, ut alium ὑποκρούειν dicatur, multoque melius de alio, qui oratorem ὑποκρούει. Itaque Grammaticus Bekkeri I. p. 68. 10 sic interpretatur: ὑποκρούειν τοὺς ῥήτορας τὸ μεταξὺ λεγόντων αὐτῶν ὑποφθεγγόμενον ἐμποδίζειν· quae interpretatio referenda est, opinor, ad Aristophanis Acharn. 37. (ἥκω παρεσκευασμένος βοᾶν, ὑποκρούειν, λοιδορεῖν τοὺς ῥήτορας, ἐάν τις ἄλλο πλὴν περὶ εἰρήνης λέγῃ), sicuti τὸ πλῆθος ἐβόα apud Xenophontem Hellen. I. 7. 12: conf. Aeschines F. L. § 84. Et Demeam Demadae filium, e tibicina natum, aliquando φρυαττόμενον ἐπὶ τοῦ βήματος ἐπεστόμισεν Ὑπερείδης εἰπών· Οὐ σιωπήσει, μειράκιον, κτέ., ut refert Athenaeus XIII. p. 591 F. Sed eadem Comici scena demonstrat istam immodestiam longe diverso modo tum coërceri solitam fuisse a Prytanibus

quam ἐπιβολῇ quinquaginta drachmarum. Ipsa quidem series orationis nullum horum verborum subiectum habet nisi τῶν ῥητόρων τις· vix tamen fieri potest, ut, qui haec consarcinavit, non cogitaverit aliquem de multitudine. — Ἢ χρηματιζόντων μεταξὺ ἀνηκέστως λέγῃ περὶ τοῦ μὴ ἐπὶ τοῦ βήματος. Vix quidquam in his recte enuntiatum est. Si bene conieci, intelligendum esse alium quemcumque e multitudine, non oratorem, dicendum fuerat λεγόντων (sicut in illa Grammatici Bekkeriani interpretatione): nam χρηματίζειν proprium est eius, qui contioni praeest, et dicendi copiam facit, id quod latere non poterat Schoemannum: vid. p. 89 sq. eiusdem libri: Aeschines Timarch. § 23: πῶς κελεύει τοὺς προέδρους χρηματίζειν; κτἑ. Ἀνηκέστως λέγῃ, bene vidit idem vir doctissimus ferri nullo modo posse: sed mire labitur quum corrigit et coniectura propemodum gloriatur, ἀνεστηκώς. *Surgere* quidem dicitur orator: sed primum, ut modo demonstravi, non de oratore haec accipere licet; tum, si de oratore sermo esset, diceretur in Aoristi participio ἀναστάς, ut apud Aeschinem Timarch. § 110. F. L. § 84, sicuti in simili re παρελθὼν dicitur, et ἀναβὰς et ἀναπηδήσας, aliaque: conf. Andocides Myster. § 112. Xenophon Hellen. I. 7. 14. Demosthe-

nes Philipp. I. p. 40. 9. Mid. p. 519. 5. Timocrat. p. 702. 20 et 28 : et taedet demonstrare Perfecti participium in alia poni significatione, sicuti recte in hac ipsa Timarchea § 79 dixit Aeschines, ὁ κήρυξ ὁ νυνὶ παρεστηκὼς ἐμοὶ ἐπηρώτα ὑμᾶς, et § 117: ὁρῶ πολλοὺς προσεστηκότας τῷ δικαστηρίῳ. Facile igitur caremus ista viri doctissimi coniectura: sed notanda est inscitia eius, qui haec tamquam legem Atticam ementitus est, ut pro eo, quod Aristophanes tenuit, βοᾶν, substituerit ἀνηκέστως λέγειν, quum fortasse voluisset οὐκ ἀνεκτῶς, quamquam frustra ineptiarum istiusmodi correctio suscipitur. Nec magis prospere succedit Schoemanno horum correctio, quum sequitur περὶ τοῦ μὴ ἐπὶ τοῦ βήματος, pro quibus commendat, aliis, ut videtur, probantibus, περὶ τῶν ἐπὶ τοῦ βήματος, qua correctione nihil prorsus proficitur. Novimus τοὺς ἐπὶ τοῦ βήματος λόγους (ut apud Demosthenem Symmor. p. 189 fin. Aeschinem F. L. § 44: et τοὺς περὶ τὸ βῆμα, ibid. 71), sed ut simpliciter dicatur sive ὁ, sive τὸ vel τὰ ἐπὶ τοῦ βήματος, ab hoc certe loco alienissimum est. Si operae pretium esset hariolari et ludere, coniicias aliquem, ut reprehenderet, ad praecedens λέγῃ adscripsisse, οὐκ ἀνεκτὸν περὶ τοῦ μὴ ἐπὶ τοῦ βήματος. — Sequitur, ἢ παρα-

κελεύηται ἢ ἕλκῃ τὸν ἐπιστάτην. In his παρακελεύεσθαι Schoemannus interpretatur *seditiosis vociferationibus uti.* Actum erit de recta interpretandi ratione, si tam incredibilia fingere licebit. Sed nullo modo defendi poterit hoc παρακελεύεσθαι, quo in legis praescripto nihil languidius est, coniunctum cum ἕλκειν. Hoc quid sit bene noverat Schoemannus: vid. lib. cit. p. 90 G.: in contione fieri solebat per τοξότας in eo qui se immodeste gereret. Sed plane novum et inauditum est ut quis dicatur ἕλκειν τὸν ἐπιστάτην. Cogitarine potest, ut tanta iniuria Epistatae illata tam modica quinquaginta drachmarum mulcta punita fuerit? Cui non in mentem veniunt ea, quae disputat Demosthenes in Midiana p. 524. 30 de iniuria Thesmothetae illata? quae eadem valere opinor in Epistata. — Quod additur, ἀφειμένης τῆς ἐκκλησίας ἢ τῆς βουλῆς, secundum novissimorum Editorum interpunctionem coniungitur cum antecedentibus: nihilominus ambigi potest ad illa, an ad sequentia pertineat, sed utrumcumque malueris, stolidum esse reperies. Dimissa contione nullus amplius erat Epistates cui iniuria fieri posset: et, si iubeantur Proedri dimissa contione ἐπιγράφειν, insulse praecipiatur hoc, quod fieri nullo alio modo poterat. In verbis praeterea

ipsis hoc vitiosum est, quod de contione non nisi λύειν et διαλύειν usurpari solebat, de Senatu ἀφιέναι, ut recte ipse monuit Schoemannus lib. cit. p. 147. not. 1; et Xenophontis locus, Hellen. I. 7. 13, dudum ut oportebat correctus est. Postremo, nihil eorum quae in Senatu commissa essent ad Proedros contionis pertinere, apertum est. — Κυριευέτωσαν οἱ πρόεδροι μέχρι πεντήκοντα δραχμῶν, καθ' ἕκαστον ἀδίκημα ἐπιγράφειν τοῖς πράκτορσιν. Ne haec quidem sine animadversione dimitti possunt. Primum, κυριεύειν verbum incognitum est in hoc Attico sermone, multoque minus in legibus usurpatum. Satis constat dicendum fuisse κύριοι ἔστωσαν, ut in lege apud Demosthenem Macart. p. 1076. 19. Tum, ipsum κύριον εἶναι et αὐτοκράτορα εἶναι, plerumque Infinitivum aoristi adiunctum habere solet: conf. Demosthenes Aristocrat. p. 630. 14 et 689 fin. Phorm. p. 962. 19: quamquam Praesentis infinitivus est in Inscriptione apud Boeckhium Seewezen p. 467, et apud Demosthenem Macart. l. c. Ἐπιγράφειν viderunt viri docti perperam poni pro solemni ἐγγράφειν. Sed non attenderunt ridicule dici Proedros κυρίους εἶναι ἐγγράφειν, quoniam non tam eius inscriptionis *potestas* iis tribuitur, sed τοῦ ζημιοῦν, vel τοῦ ἐπιβολὴν ἐπιβάλλειν, cuius alterum illud con-

sectarium esset, aut nude dicendum fuisse ἐγγραφόντων, ut in simili lege apud Demosthenem Macart. p. 1074 fin. Quod interponitur, καθ' ἕκαςον ἀδίκημα, aut vitiosum est, si voluerit *statim*, *in flagrante delicto*, (nam ita παρ' ἕκαςον ἀδίκημα dicendum erat, ut apud Demosthenem pro Coron. p. 229. 19 παρ' αὐτὰ τἀδικήματα ·) aut otiosissimum, si singula delictorum genera intellexit, propter saepe interpositum disiunctivum ἢ in enumeratione quae praecedit. — Non minori offensioni sunt ea, quae statim sequuntur. Ἐὰν δὲ πλέονος ἄξιος ᾖ ζημίας, quaeri potest, quis? Mira enim verborum compositio est, si τις, quod initio legis ponitur, huc revocandum est. Sed pro πλέονος, requirebatur μείζονος, nisi quis πολλὴν ζημίαν pro μεγάλην probet. Confictum hoc est exemplo eius, tum quod in Senatu circa τὸν εἰσαγγελθέντα valebat, ut optio daretur utrum mulcta irroganda, an causa τῷ δικαςηρίῳ tradenda esset, tum eius quod apud Demosthenem Archonti permittitur, Macart. l. c. — Si, inquit, qui deliquerit graviorem poenam meruerit, Proedri ἐπιβαλόντες μέχρι πεντήκοντα δραχμῶν εἰσφερέτωσαν εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν ἐν τῷ βουλευτηρίῳ. Quae tandem ista saevitiae libido est? Proedri, postquam mulctam irrogaverint (ἐπιβαλόντες) mulctatum

ut tradant senatui graviore etiam poena afficiendum! Repugnare hoc existimo reliquis iudiciorum institutis, per quae ne litem quidem movere bis ex eadem causa adversus eundem licebat. Tum, per compositionis formam, istud εἰσφέρειν εἰς τὴν βουλὴν nullum aliud obiectum habere potest, nisi αὐτὸν τὸν ἀδικοῦντα. Sed nemo umquam Athenis ita dixit. Legem εἰσφέρειν dícebatur, et causam dicuntur εἰσφέρειν οἱ ἄρχοντες, sicut apud Demosthenem Aristocrat. p. 629. 22, quamquam tritius est εἰσάγειν τὴν δίκην· tum Senatus dicitur causam παραδιδόναι τῷ δικαστηρίῳ. De re ipsa mox dicemus. Sed εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν propterea ferendum non est, quia vix cogitare licet de prima cuiusque prytaniae legitima contione, quae certis negotiis destinata erat. Dici poterat εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἐκκλησίαν. In commentitia illa ἐπιχειροτονίᾳ νόμων, quae inserta est Demosthenis Timocrateae p. 706, appellatur sane ἡ τελευταία τῶν τριῶν ἐκκλησιῶν, sed in eo negotio cui totidem contiones lege destinatae erant. De bello et pace quoque duae continuo contiones haberi solebant: conf. v. c. Aeschines F. L. § 53 et 60 sq. Sed ut simpliciter prima quaeque contio ἡ πρώτη appelletur, inauditum est. Postremo Editorum hoc inventum esse videtur, ut interpungendo

verba ἐν τῷ βουλευτηρίῳ cum istius contionis mentione coniungerent, satis inepte: aliquanto melius cum sequentibus copulari agnovit Schoemannus, quem tamen nihil offendere videtur inscitia compositionis, si huius postremi capitis praeceptum initium ducit a verbis ἐν τῷ βουλευτηρίῳ. Habebimus igitur haec: ἐν τῷ βουλευτηρίῳ ὅταν διεξίωσι κλήσεις κρινάτωσαν. Voluit sine dubio istud κρίνειν Senatui tradere: sed ex serie compositionis nullum subiectum est Imperativi κρινάτωσαν, praeter ipsos Proedros. Sed rem ipsam quae praescribitur respuit constans civitatis disciplina. Proedri contionis erant, nec quidquam in Senatu referre poterant. Multo minus Senatus istiusmodi querelas, de quibus in hac lege sermo est, accipiebat, nec nisi privatorum εἰσαγγελίας δέχεσθαι (ut loquitur Lysias Nicomach. p. 185. 20) poterat, si eae ad reip. discrimen causamque pertinere viderentur, nec nisi in his causis mulctae irrogandae usque ad quingentarum drachmarum potestatem habebat, nisi rem tribunali tradere mallet: conf. Demosth. Euerg. et Mnesib. p. 1152. Neque enim eiusmodi iuris dicundi potestate utebatur Senatus, ut alius poenae decernendae potestatem haberet, nec quidquam aliud in hac lege nisi gravior aliquanto mulcta a Senatu exspectabatur.

9*

Eventus igitur hic erit, ut, cui Proedri iam quinquaginta drachmarum poenam imposuerint, hunc nova drachmarum προσθήκῃ gravius mulctare potuerit Senatus. Credat qui velit. Quod interponitur, ὅταν διεξίωσι κλήσεις, corrigendum sane erat αἱ κλήσεις, aut τὰς κλήσεις· nam quid sit illud διεξίωσιν, inexplicabile est. Quod Bremius interpetatur διεξιέναι κλήσεις, ut sit »perquirere num rectae sint," quis, quaeso, umquam ita locutus est? Ipsum illud κλήσεις alienissimum est ab ea delatione, qua Proedri dicuntur causam Senatui tradere, sed proprium eorum qui suo nomine quem in ius vocabant apud magistratum. Ne κρίνειν quidem suo loco dicitur, quod omnino sane tribuitur tribunalibus, ita ut iuris dicundi omnis potestas significetur (ut apud Demosthenem pro Coron. p. 298 init. ὑμᾶς δεῖ — τάς τε ἰδίας δίκας καὶ τὰς δημοσίας κρίνειν. conf. Timocrat. p. 747 med) sed ipsum pronuntiare, quod postremum est in eo munere, διαγιγνώσκειν dicebatur. In hoc verbo Praesentis Imperativum servat Aeschines Timarch. § 20.

Extrema haec sunt: καὶ ἐὰν καταγνωσθῇ αὐτοῦ κρύβδην ψηφιζομένων τῶν βουλευτῶν, ἐγγραψάτωσαν οἱ πρόεδροι τοῖς πράκτορσι τῶν νόμων. Etiam si abiicimus τῶν νόμων, nihil fere est in

reliquis quod sanum sit. Quum dicitur ἐὰν καταγνωσθῇ αὐτοῦ. quaeritur quis sit αὐτός, quum nemo certus in antecedd. indicatus sit. Oportebat hoc sic enuntiare, vel ὅ τι δ' ἂν καταγνωσθῇ, ut in Timocrat. p. 721 init., vel οὗ δ' ἂν καταγνωσθῇ, qui damnatus esset hunc ut Proedri inscriberent apud Practores: in quo tamen ipso diserta mentio requiritur eius poenae generis, quod unum in Senatus potestate erat, nempe ζημιοῦν ταῖς πεντακοσίαις, nam hoc unum genus inscribi poterat apud Practores. Recte, contra, et diserte lex pronuntiat quam refert Aeschines Timarch. 21: ἐὰν δέ τις ταῦτα ποιῇ, καταγνωσθέντος αὐτοῦ ἑταιρεῖν, θανάτῳ ζημιούσθω. Et in κρύβδην ψηφιζομένων τῶν βουλευτῶν, hoc notandum est, et otiosum esse τῶν βουλευτῶν; et non τοὺς βουλευτάς, sed τὴν βουλήν in lege appellari solere: praeterea istud κρύβδην ψηφίζεσθαι non nisi in ea quaestione tribuitur Senatui, πότερόν τις ἀδικεῖ, sicut apud Demosthenem Euerg. et Mnesib. loco supra indicato: sed poenae aestimatio (τιμᾶν) respuebat illam sententiae ferendae rationem.

Si, ut spero et confido, satis probavi nihil sani esse in tota illa verborum sententiarumque turba, nihil opus esse existimo alios monere ne istiusmodi commento in posterum utantur ad res

rationesque civitatis Atheniensium explicandas. Non enim fore puto quemquam tam pertinacem, ut eius auctoritatem veneretur donec ostendero quis et unde eam legem consarcinaverit. Quam patienter tamen viri docti tralatitiam auctoritatem ferant, et quam sero meliora probentur, agnovi, quod doleo, in Boeckhio, qui illam ὕβρεως legem, in eadem Timarchea § 16, quam in prima editione Oeconomiae Civilis Atheniensium servarat, eandem tuetur et exornat in altera editione, I, p. 508, quum aliquot annis ante, in Epistola ad Hermannum p. XLVII sqq. ostendissem eam esse confictam, necdum a quoquam rationes meas impugnatas esse vidissem. Sed nolo molestus esse, neque intercedo, quin sua cuique placeant.

III.

Κατασάσεις *Equitum repetitae post XXX viros.*

Nondum satis explicita esse videntur quae a Lysia accepimus in Oratione Pro Mantitheo. Dicta est haec oratio in Senatu, ipsiusque Mantithei δοκιμαζομένου apologiam continet. Valebat autem hoc in omnibus, qui quemcumque demum honorem in sequentem annum nacti essent, sive sortitione, sive suffragiis, ut eorum δοκιμασία in Senatu provocaretur, quod non attinet pluribus demonstrare post Meierum Lit. Att. p. 202. sqq.: qui quod suspicatur in verbis Lysiae Contr. Philon. § 2. (ubi e Senatorio iureiurando excitantur haec verba, εἴ τις τινα

οἶδε τῶν λαχόντων ἀνεπιτήδειον ὄντα βουλεύειν) praeter istud βουλεύειν intelligendum quoque esse ἄρχειν, quo tamen actor in ista actione non indigebat, confirmari credo iis, quae Mantitheus § 8. pronuntiat: ὁρῶ δὲ καὶ ὑμᾶς (Senatum alloquitur) ταύτῃ τῇ γνώμῃ χρωμένους, καὶ πολλοὺς μὲν τῶν τότε ἱππευσάντων βουλεύοντας, πολλοὺς δὲ αὐτῶν ϛρατηγοὺς καὶ ἱππάρχους κεχειροτονημένους. Et consentaneum erat ut ista probatio, cuius causa vix quodquam certum delicti nomen postularet, quaeque maximam partem niteretur criminibus vel a moribus, vel ex animo in rem publicam τοῦ δοκιμαζομένου petitis, primum apud Senatum institueretur, non tamquam ἐν δικαϛηρίῳ, sed eum ad finem ut istic vel tolleretur, vel probata reiiceretur ad Thesmothetas, qui eam publice ad tribunal deferrent, eodem instituto quo εἰσαγγελιῶν iudicium erat penes Senatum: neque fieri potest ut οἱ κεχειροτονημένοι non eidem periculo, cui οἱ λαχόντες, subiecti fuerint, siquidem in aliis multo etiam gravioribus negotiis comitiorum correctores esse poterant τὰ δικαϛήρια.

Mantitheus igitur accusationi ita respondendum esse dicit, ut demonstret se εὔνουν εἶναι τοῖς καθεϛηκόσι πράγμασι (nempe post anarchiam restitutis), tum περὶ τὰ ἄλλα μετρίως

βεβιωκέναι. Sed animus eius in praesentem statum rei publicae ab inimicis hac αἰτίᾳ in suspicionem vocatus erat, ὡς ἵππευεν καὶ ἐπεδήμει ἐπὶ τῶν τριάκοντα καὶ μετέσχε τῆς τότε πολιτείας (§ 3). Nulla sane hinc oriri poterat actio perduellionis, propterea quod μὴ μνησικακήσειν iuraverant Athenienses tyrannide sublata, sed comparabatur istiusmodi criminatio ad alienandos civium animos. Respondet Mantitheus eo usus defendendi genere, quo apud Lysiam actor in Nicomachum § 7 sq., et abfuisse se in Ponto per illud temporis spatium, nec domum rediisse nisi quinque diebus antequam οἱ ἀπὸ Φυλῆς Piraeeum occupavissent, tum autem neque periculorum, neque rerum publicarum socium aut participem fuisse (§ 4 et 5.) Quod autem ei τὸ ἱππεῦσαι ἐπὶ τῶν τριάκοντα exprobrabatur, hoc ita refutat, ut dicat, stultum esse ἐκ τοῦ σανιδίου τοὺς ἱππεύσαντας σκοπεῖν, in quo tum multi eorum qui confiterentur ἱππεῦσαι (quomodo corrigendum puto id quod edi solet, ἱππεύειν) non commemorentur, tum inscripti sint nonnulli eorum qui absentes essent. Quo igitur argumento dirimetur hoc? Hoc, inquit: ἐπειδὴ γὰρ κατήλθετε, ἐψηφίσασθε τοὺς φυλάρχους ἀπενεγκεῖν τοὺς ἱππεύσαντας, ἵνα τὰς καταστάσεις ἀναπράττητε παρ' αὐτῶν. ἐμὲ τοίνυν

οὐδεὶς ἂν ἀποδείξειεν οὔτ' ἀπενεχθέντα ὑπὸ τῶν Φυλάρχων, οὔτε παραδοθέντα τοῖς συνδίκοις, οὔτε κατάςασιν παραλαβόντα, καίτοι πᾶσι ῥᾴδιον τοῦτο γρῶναι, διότι ἀναγκαῖον ἦν τοῖς Φυλάρχοις, εἰ μὴ ἀποδείξαιεν τοὺς ἔχοντας τὰς καταςάσεις, αὐτοῖς (f. melius αὐτοὺς) ζημιοῦσθαι. ὥςε πολὺ ἂν δικαιότερον ἐκείνοις τοῖς γράμμασιν ἢ τούτοις πιςεύοιτε· ἐκ μὲν γὰρ τούτων ῥᾴδιον ἦν ἐξαλειφθῆναι τῷ βουλομένῳ, ἐν ἐκείνοις δὲ τοὺς ἱππεύσαντας ἀναγκαῖον ἦν ὑπὸ τῶν Φωλάρχων ἀπενεχθῆναι, (§ 6 et 7.) Quorum, et cuius auctoritatis fuerit istud σανίδιον, tabella lignea, non est facile dictu: hoc novimus, in eiusmodi ἀναγραφαῖς nominum propriorum, crebro indicari et falsas inscriptiones et lituras (ψευδῶς ἐγγράφεσθαι et ἐξαλείφεσθαι): tum hoc apparet, si qua istius σανιδίου fuisset auctoritas; non publico decreto Athenienses impositures fuisse τῶν ἱππευσάντων ἀπόδειξιν Phylarchis. Sed hi ipsi quaeri potest qui fuerint, οἱ ἐπὶ τῶν τριάκοντα, an quos civitas post constituisset? Quum, concordia restituta, credibile sit auctore Thrasybulo novos magistratus constitutos esse (καὶ τότε μὲν ἀρχὰς καταςησάμενοι ἐπολιτεύοντο, Hellen. II. 4. 43.), necesse est ut sumamus negotium istud mandatum fuisse novis creatis Phylarchis, qui tamen suae quisque φυ-

λῆς eos nosse possent, qui per anarchiam equo meruissent.

Ipsum decretum repetendae καταστάσεως ab illis equitibus, dubitari fortasse poterit fueritne Senatus, an populi in contione. Quum nihil diserte traditum sit, sic dirimi posse opinor, si prius exploratum fuerit quae et qualis fuerit ipsa κατάστασις. Probabiliter explicuit hoc Boeckhius in altera edit. Oecon. Civ. Athen. I. p. 354 sq., priorem sententiam corrigens, quum existimavisset eandem eam esse cum μισθῷ, aut σίτῳ qui equitibus tribueretur. Recte quidem sumit κατάστασιν esse pecuniam, quam civitas tribueret equitibus (quid vitiosum sit in eo, quum dicit »den Reitern oder Rittern," post dicam) quum instituerentur: in quo prorsus sequitur Harpocrationem in v.; qui ita sibi videri dicit; nullum enim alium locum nosse is videtur in quo rei fieret mentio, praeter hunc ipsum Lysiae: vocabulum ipsum ab Eupolide quoque et Platone Comicis usurpatum indicat. Constitisse autem κατάστασιν pecunia, aut certe pecunia aestimatam fuisse, confici poterat hinc quoque, quod in illo decreto sancitum erat Phylarchos oportere ἀποδεῖξαι, aut, ni facerent, αὐτοὺς ζημιοῦσθαι, i. e. eadem pecunia mulctari, qualis sanctio, ut cognitum est, in multis

aliis legibus et psephismatis deprehenditur. Neque prorsus novum hoc est, quod per sermonis abusum istiusmodi vocabulum in definita pecuniae summa usurpatur, qualis abusus deprehenditur quoque in παράςασις, et in σύνταξις.

Postremum addit haec de suo Harpocration: ἀπεδίδοτο δὲ τὸ ἀργύριον ὑπὸ τῶν ἱππευσάντων, ὅτε ἀντὶ αὐτῶν ἕτεροι καθίςαντο· ἀπήτουν δὲ αὐτὸ οἱ φύλαρχοι. De utroque videamus. Prius illud reprehenditur a Boeckhio, qui docet, minus recte, tamquam si perpetui moris fuisset, intelligi id, quod non nisi semel post anarchiam factum esset. Equidem neque Harpocrationis doctrinam, neque Boeckhii correctionem probabilem esse puto. Si perpetui moris fuisset, primum quid opus erat peculiari psephismate quo κατάςασις repeti iuberetur? Rursus, si, quod perpetuo omitteretur, in his equitibus fieri decretum esset, tam odiosum hoc fuisset, ut restitutae concordiae vehementer adversaretur, quum praesertim illa oblivionis lege nemo praeter τοὺς τριάκοντα, et τοὺς ἕνδεκα, et τοὺς ἐν Πειραιεῖ ἄρξαντας δέκα, exclusus esset (Xenoph. Hellen. II. 4. 38.) Multo mihi verisimilius videtur in eo errare et Grammaticum et Boeckhium, quod uterque sumsit hoc institutum, καταςάσεως de publico equitibus

tribuendae, fuisse perpetuum; quod quare mihi videatur proprium fuisse imperii Trigintavirorum, paucis dicam.

Aerarium eo tempore, quo, post cladem apud Aegospotamos, pax facta cum Lysandro erat, fuisse exhaustum, non attinet, credo, multis demonstrare. Accedebat, quod non tantum sociorum tributa, sed pleraque vectigalia extincta erant, tum magnus numerus eorum, quibus εἰσφοραὶ imponi possent, exsulabant. Per hanc inopiam, quamquam nullae classes erant ornandae neque exercitus foras mittendi, tuenda tamen erat διοίκησις, quae domesticis expensis constabat. Trigintaviri pro arbitrio et Senatum novum, et alios magistratus constituerant (Hellen. II. 3. 11), quorum ille certe mercedem accipiebat. Tum, quo melius suam dominationem tuerentur, a Lacedaemoniis impretaverant praesidiarias copias (φρουρούς), quod praesidium sine dubio ingenti quotidiana mercede constabat, singulorum certe non minus trium obolorum (conf. Xenoph. Hellen. V. 2. 21), ita ut per octo menses unum hoc negotium grandi pecunia indigeret. Tria millia civium, quos deligebant μεθέξοντας δὴ τῶν πραγμάτων (ibid. 3. 18.), vix fieri potest ut sine mercede habuerint, quum, reliquis per frau-

dem exutis, solis his arma concessissent (ibid. 20.) Sed servarant equitatum, firmissimum oligarchiae praesidium, ut vel Therameni videbatur (ibid. 48.): quae copiae quo numero fuerint, coniicere licet e temporibus δημοκρατουμένης τῆς πόλεως, quum verbi causa Pericles, initio belli Peloponnesiaci, profiteretur mille ducentos equites (Thucyd. II. 13), totumque hoc institutum referri soleret inter ea, quae magna cum expensa res publica suscepisset (conf. Andocides de Pace § 5 sqq. Aeschines Fals. Legat. § 173 sqq.) Horum singulis non tantum drachmae merces minimum solvenda erat, sed praeterea σῖτος (conf. Boeckhius l. c. p. 352 sqq.) Sed ne hoc quidem satis fuisse videtur. Etenim, quum maior pars bonorum et locupletium vel indicta causa periissent, vel urbe cessissent (fere ad septem millia numerat Isocrates Areopagit. § 67.), e quorum numero antea equitum delectus per Hipparchum ita fieri solebat, ut sibi quisque et equum et reliqua quibus opus esset compararet, Trigintaviros eo redactos fuisse suspicor ut magnum numerum tenuiorum in equitum catalogum referrent, quorum voluntatem fidemque ut sibi conciliarent, eam singulis ex aerario praestitisse pecuniam, qua indigerent ad eam

militiam tuendam, eamque designatam esse nomine καταςάσεως.

Quo modo isti, in maximis aerarii angustiis, tantis sumtibus pares esse conati sint, satis docet miserrimi temporis historia. Ditissimi tum cives, tum inquilini, χρημάτων ἕνεκα mortis damnabantur (Xenoph. ibid. 3. 21), ut Trigintaviri et aliis necessitatibus prospicerent, et ut τοῖς Φρουροῖς χρήματα διδόναι haberent: palamque profitebantur τὴν πόλιν χρημάτων δεῖσθαι (Lysias contr. Eratosth. § 6, loco corrupto.) Quumque ne haec quidem satisfacerent, tandem centum talenta a Lacedaemoniis mutuo sumserunt (Xenoph. ibid. 4. 28.) Postea, restituta re publica, insigne dederunt Athenienses documentum magni animi quo concordia servaretur, non sine causa celebratum et ab Isocrate (Areopagit. § 68 sq.) et a Demosthene (Leptin. p. 460. 12.) Quum enim aequum videretur ut, repetentibus debitum Lacedaemoniis adeoque flagitantibus (Lysias Nicomach. § 22.), ab iis solveretur qui ἐδανείσαντο, maluerunt κοινῇ διαλῦσαι τὰ χρήματα, et communem εἰσφορὰν sustinere. Neque hoc unum exemplum est, in Graecarum civitatum historia, servatae aequitatis ad restituendam civium concordiam inter se. Nam, aliquot annis post,

Phliasii, quum Spartanorum moti auctoritate exsules restituere decrevissent, simul placuit ἐκείνοις μὲν ἀποδοῦναι τὰ ἐμφανῆ κτήματα (quae sine dubio publicata fuerant), τοὺς δὲ τὰ ἐκείνων πριαμένους ἐκ δημοσίου τὴν τιμὴν ἀπολαβεῖν, ut narrat Xenophon. Hellen. V. 2. 10. Et alia eiusdem generis exempla poterant excitari: veluti Arati Sicyonii, de quo Cicero Offic. II. § 81 sq., et post eum Plutarchus et Pausanias.

Sed Athenienses hoc quum agebant, quaeque damna paucorum imperium attulisset omnium opibus reparari volebant, nihil mirum, in maximis aerarii angustiis, et quum σπάνις esset ἀργυρίου ἐν τῇ πόλει, ut loquitur Lysias Bon. Aristoph. § 11, voluisse eos ea certe repetere, quae praeter morem et vetera instituta singulis fuissent tributa ac donata de publico: in quo genere fieri potest ut alia quoque habita fuerint, quorum tamen nusquam mentionem factam esse video, et summo iure numerari poterant illae καταστάσεις, tamquam δανείσματα, siquidem qui has acceperant argui poterant τὰ τῆς πόλεως ἔχειν. Etenim, in tam afflicta et prostrata conditione omnium fortunarum, nullo modo exspectandum erat ut tam grandis pecunia per εἰσφορὰς conferri potuisset, itaque cen-

tum talenta Spartanis solvi. Et quandoquidem sic novum quoddam controversiarum genus oriebatur, in quibus inquirendum esset an quis per illos octo menses anarchiae acceptum quid teneret quod aerario deberetur, earum cognitioni et explorationi novi tum destinati sunt Syndici, de quibus nondum me poenitet eorum quae breviter disputavi Scholic. Hypomn. III. p. 288 sq. Horum Syndicorum munus dicerem illustratum esse a Meiero Lit. Att. p. 111 sq.; aut a Boeckhio l. c. p. 213, si quidquam isti attulissent praeter Harpocrationem in v., cuius divinatio potius quam diligens doctrina nobis relicta est. Igitur quum Archini lege (cuius mentio fit apud Isocratem adv. Callimachum init.) privatorum petitiones, in quibus valeret τὸ μνησικακεῖν, exclusae essent, (quam disciplinam egregie illustravit Grotius Histor. Graec. Vol. VIII. p. 299 sqq.), manebat tamen τὸ δημόσιον, cui quod deberi existimaretur a quoquam e Trigintavirorum administratione, repetendum iusserunt Athenienses uno, ut suspicor, psephismate, quo et alia fortasse indicabantur, et illae καταστάσεις.

Necessario igitur populi, non Senatus, fuit illud psephisma, cuius descriptio, in primisque causa illarum καταστάσεων repetendarum, etiamsi

nullo diserto testimonio a me proposita est, tamen eiusmodi mihi esse videtur, ut et rei naturae et temporum illorum ingenio reliquisque civitatis institutis consentanea sit. Hoc quoque addamus, minime nobis probari coniecturam Boeckhii, qui vetustae cuiusdam Inscriptionis reliquias (quas iterum edidit C. I. n⁰. 80.) cum illo psephismate coniungit, in Appendice Vol. II. Oecon. Civ. Athen. p. 207 sq. ed. 1ae. Nolo alia urgere quae in isto fragmento aliena sunt ab illo negotio; sed si recte, ut mihi videtur, v. 9. supplevit ἡ βουλὴ] ἡ ἀεὶ βουλεύουσα, hoc ipsum monere poterat non esse istud psephisma, sed legem quam perpetuo valere oporteret.

Alterum quod docet Harpocration, ἀπῄτουν δὲ αὐτὸ οἱ φύλαρχοι, ingenti laborat soloecismo, quoniam totum hoc Senatui reservabatur.

Non discedam hinc sine diligentiore consideratione eius argumenti, quo Boeckhius (l. c. p. 355.) usus est, ut obtineret κατάστασιν non esse cum μισθῷ confundendam. Si μισθὸς esset de quo ageretur, inquit, Mantitheus neque παραλαβόντα, neque ἔχοντας dixisset, sed potius εἰληφέναι (voluit fortasse εἰληφότα.) Primum, non meminerat in ipso Eupolidis fragmento, quod servarat Harpocration, esse κατάστασιν λαβεῖν. Tum, in ipso illo παραλαβόντα virum

doctissimum non offendisse miror. Constat enim παραλαμβάνειν, in quaestorum et curatorum redditis rationibus, de eo dici, qui succedens in magistratu ab eo, cui ipse succedat, recipit ea quae is παραδίδωσι, quale quid omnium minime convenit equitibus κατάςασιν accipientibus de publico. Restat praeterea aliud, quod non minus miror neglectum esse. Quum enim Mantitheus enumerat indicia e quibus conficiendum fuisset eum non ἱππεῦσαι per anarchiam, apparet iustum ordinem ab eo servari, ita ut primum dicat οὔτ' ἀπενεχθέντα ὑπὸ τῶν Φυλάρχων. quos secundum psephisma oportebat ἀπενεγκεῖν τοὺς ἱππεύσαντας· tum, οὔτε παραδοθέντα τοῖς συνδίκοις, qui causam scilicet explorarent, et, si opus esset, ad tribunal deducerent; tertium quod subiicit, οὔτε κατάςασιν παραλαβόντα, eiusmodi est, ut rem ipsam contineat, non sit argumentum quo ea demonstretur. Postulari puto ut id tertio loco posuerit, quod sequi oportuisset Syndicorum cognitionem, si re vera fuisset unus τῶν ἱππευσάντων, nempe restitutio ipsius καταςάσεως in aerarium: et hoc habebimus, si corrigitur, οὔτε κατάςασιν καταβαλόντα. Quid sit καταβάλλειν, norunt ii qui rerum Atticarum gnari sunt; sicut est in lege apud Demosthenem Timocrat. p. 730.

fin., quae iubet τοὺς ἔχοντας τά τε ἱερὰ καὶ τὰ ὅσια χρήματα καταβάλλειν εἰς τὸ βουλευτήριον, εἰ δὲ μή, τὴν βουλὴν αὐτοὺς εἰσπράττειν.

Venio nunc ad id, quod supra pag. 139. dixi me quaesiturum esse, quid vitiosum esset in Boeckhii verbis (»den Reitern oder Rittern.") Minime inter se permutari oportere duo illa genera equitum, satis videtur ipse Boeckhius significare l. c. p. 656—658, siquidem a classe equitum, cuius censum definiverat Solon, distinguendus est equitatus ille, quem diu post constituerunt (κατεστήσαντο) Athenienses. Si quaeritur a quo demum tempore classium illarum Solonearum usus et auctoritas evanuerint, quemcumque eventum habeat ista consideratio, hoc tamen ubique probibit, segregari a veteri équitum censu et appellatione equitatum illum perpetuum quem res publica suo sumtu aleret. In Thucydide III. 16, ubi, classe centum navium instructa, dicuntur Athenienses ἐσβάντες αὐτοί τε πλὴν ἱππέων καὶ πεντακοσιομεδίμνων, καὶ μέτοικοι, non oportebat dubitari fieri nullo modo posse ut equitatus ille intelligeretur, quem Pericles II. 13. recensuerat: nihil dicitur aliud nisi ἐπιβάτας voluntarios exstitisse e civibus et inquilinis,

(qui, sicuti conficere licet ex I. 143. init, opponuntur τοῖς ξένοις ναύταις· explicatius eiusmodi oppositionem exponit Boeckhius C. I. Vol. I. p. 305 sq.) locupletiores tantum abstinuisse. Equitatus ipse numquam illo ministerio fungebatur, sed, si genus expeditionis postularet, mittebatur et ἀνεβιβάζετο· tum non nisi peculiari psephismate eiusmodi quid definiebatur, sicuti apud Xenophontem Hellen. I. 1. 34, Thrasyllo ἐψηφίσαντο ὁπλίτας τε αὐτὸν καταλέξασθαι χιλίους, ἱππέας δὲ ἑκατόν. Sicut in Thucydide, ita de Xenophontis loco iudicandum est Hellen. I. 6. 24. Agitur de auxiliis quantocyus parandis quae Callicratidae opponerentur, quum Atheniensium classis Mytilenae obsideretur: ἐψηφίσαντο, inquit, βοηθεῖν ναυσὶν ἑκατὸν καὶ δέκα, εἰσβιβάζοντες τοὺς ἐν ἡλικίᾳ ἅπαντας καὶ δούλους καὶ ἐλευθέρους· — εἰσέβησαν δὲ καὶ τῶν ἱππέων πολλοί. Nihil istic de equitatu cogitandum, quo ne opus quidem erat. Sed prorsus dissentio a Boeckhio quum docet, e censu definitum fuisse aliquod ius militandi in equitatu (p. 658. init. »weil darnach »die Berechtigung zum Reiterdienst und eini»ges andere abgemessen wurde.") A quo tempore in copiis militaribus certus equitatus Athenis constitutus est, (de cuius instituti initio et

progressu Andocidis et Aeschinis locos supra indicavi p. 142), nihil ea res commune habuit, nec habere potuit, cum censu eorum, qui dicebantur ἱππάδα τελεῖν (Boeckhii ἱππικὸν τελεῖν, p. 651, inauditum est in scriptoribus Atticis:) nec usquam demonstratur id, quod ab eodem docetur (p. 352. et 650), lege teneri ditiores in equitatu mereri. Tantum aberat ut ὁ ἱππεύων existimaretur λειτουργεῖν, ut apud Lysiam Alcib. I. § 7 sq., qui maluisset ἀδοκίμαςος ἱππεύειν quam μετὰ τῶν ὁπλιτῶν κινδυνεύειν, ἀςρατείας et λιποταξίου crimine conveniatur, quamquam dubitari non potest fuisse istum Alcibiadem τῶν ἱππάδα τελούντων. Praetorem aut Hipparchum, cuius esset καταλέγειν ἱππέας, hoc potissimum spectare oportebat, quis isti militiae idoneus esset, quoniam, ut constat, δοκιμασία τῶν ἱππέων erat penes Senatum: et sane laudari poterat qui pulcrum et bene instructum equum obtulisset, unde hoc quaerere poterat Demosthenes Fals. Legat. p. 432. init., Ποῖος γὰρ ἵππος, ποία τριήρης — γέγονε παρὰ τούτων τῇ πόλει; Ipsum autem ἱππεύειν, quo modo in liturgiis censeri poterat, cum censu coniunctum, quum equitibus μισθὸς praeberetur et σῖτος? Mantitheus ipse apud Lysiam (§ 13.) κατειλεγμένος ἱππεύειν, quum mal-

let maiori cum periculo in hoplitis militari, a praetore impretravit ut se e catalago deleret.

Quae hucusque explicui confirmari puto Xenophontis auctoritate in Hipparchico. Agnoscitur ubique δοκιμασία illa quam Senatus haberet: tum apparet ex I. § 2. numerum quoque equitum lege definiri solitum fuisse. Sed considerandus est locus IX. 3, ubi dicit, numerum τῶν χιλίων ἱππέων facilius plenum servari posse, si ducentos peregrinos constituerent equites: tum addit haec § 5: εἰς δὲ τιμὴν τῶν ἵππων νομίζω ἂν αὐτοῖς χρήματα ὑπάρξαι καὶ παρὰ τῶν σφόδρα ἀπεχομένων μὴ ἱππεύειν, ὅτι καὶ οἷς καθίστησι τὸ ἱππικὸν ἐθέλουσι τελεῖν ἀργύριον ὡς μὴ ἱππεύειν, παρὰ πλουσίων μὲν, ἀδυνάτων δὲ τοῖς σώμασιν, οἴομαι δὲ καὶ παρ' ὀρφανῶν τῶν δυνατοὺς οἴκους ἐχόντων, νομίζω δὲ καὶ μετοίκων φιλοτιμεῖσθαι ἄν τινας εἰς ἱππικὴν καθισταμένους κ. τ. λ.

Bis tantum, quantum memini, hunc locum usurpavit Boeckhius, sed ita ut incredibili modo a vera sententia explicanda aberret l. c. p. 658. inf. Apud Xenophontem, ait, τὸ ἱππικὸν τελεῖν non significat equestrem censum solvere (igitur ἱππάδα τελεῖν), sed pecuniam solvere qua quis equo merendi necessitatem sibi impositam redimat, (»bedeutet τὸ ἱ. τ. nicht

»Richterschatzung zahlen," " sondern statt des »Reiterdienstes, wozu einer verpflichtet ist, »Reitergeld bezahlen, sodass man sich loskau- »fen konnte.") Quid mihi videatur de illa parte sententiae Xenophonteae, quae continetur verbis ὅτι καὶ οἷς usque ad ὡς μὴ ἱππεύειν, quibus suam Boeckhius contineri doctrinam putat, dicam tum si demonstravero illud ipsum, quod inde confecit, per se verum esse non posse. Redimendae militiae, aut cuiuscumque demum muneris aut oneris, exemplum et auctoritatem in tot veteris historiae Atheniensium monumentis neque ipse repperi, neque facile quemquam allaturum esse puto: multo etiam minus reperietur hoc, ut eiusmodi pecunia, quod tamen necesse esset propter verbum τελεῖν, in aerarium fuerit illata; quale quid hodie, ex nova lege, in Gallia usurpatur. Sed hoc quoque adversatur isti doctrinae, quod, ea probata, proditur ac deseritur Xenophontis consilium. Hic enim, quum suaderet peregrinos equitatui πολιτικῷ adsciscere, unum tantum, quod huic consilio obstare posse videretur, nempe istos peregrinos non domo allaturos esse κατάστασιν, ita solvit, ut dicat, eam pecuniam quae postularetur facile exstituram ab eorum liberalitate bonoque in rem publicam animo,

qui ceteroquin alius alia de causa istius militiae onere excusati essent. Quid autem istuc pertinet facultas, si qua fuerit, oneris redimendi? Prorsus nihil. Et, ne quid omittamus, ne Graecum quidem est τὸ ἱππικὸν τελεῖν, si ἱππικὸν τέλος intelligendum est, ut modo supra significavi: nam τὸ ἱππικὸν substantive dictum nihil aliud nisi ipsum equitatum significat: ipsumque denique τέλος et τελεῖν alienissima sunt ab eiusmodi pecuniae solutione qualem Boeckhius fingit, quae ne eius quidem generis esset, cuius novimus fuisse πορνικὸν τέλος. Postremo, vix attinet monere totum istud Xenophontis consilium otiosum futurum fuisse, si perpetuo instituto, ut Boeckhius putat, καταστάσεις de publico praeberentur. Extrema autem istius loci ex Hipparchico verba correctione indigent. Conspirat consilium, quo inquilini quoque adsciscendi in equitatum commendantur, cum iis quae explicantur in libello De Vectigalibus II. § 3, ubi commendatur τὸ μεταδιδόναι τοῖς μετοίκοις τοῦ ἱππικοῦ. Igitur in Hipparchico legatur, εἰς ἱππικὸν καθισταμένους· sensus est; inquilinorum quoque nonnulli lubenti animo in equitatus militiam deligerentur. Stolidum est, εἰς ἱππικήν. Utrumque locum noverat Boeckhius l. c. p. 364. c.

Nunc videamus de tota illa sententiae parte, quae reliquis interponitur, et unde praeclarum illud velut ἕρμαιον quoddam Boeckhius exprompsit. Ubi, quaeso, est subiectum verbi καθίστησι? Quid est καθιστάναι τὸ ἱππικόν τινι, siquidem haec iungenda sunt οἷς καθίστησι τὸ ἱππικόν? Ubi est subiectum verbi θέλουσι? aut quid, si participium est? Quis umquam dixit ἀργύριον τελεῖν? Qua syntaxeos norma defendi poterit, ut iungantur τὸ ἱππικὸν τελεῖν, ita ut ἀργύριον tamen locum suum tueatur? Sunt istae merae tenebrae, quas ne coniectura quidem tentanda facile quisquam dispellere poterit, sed e quibus lucem exspecto a Boeckhii ingenio. Dicam quid mihi videatur. Statim illud ὅτι, a quo orditur haec verborum comprehensio, suspicionem mihi iniecit, totum hoc esse παρέμβλημα eius, qui de suo interpretari et amplificare vellet ea, quae Xenophon recte et suo proposito convenienter dixerat. Concedo exstitisse Athenis nonnullos, qui impositum militandi onus detrectare conarentur, omninoque subterfugerent ea officia, quibus qui fungeretur dicebatur τὸ προσταττόμενον ποιεῖν· sed istud fraude ac dolo consequebantur, pecunia autem redimendi oneris nusquam quodquam vestigium deprehenditur in ipsa civitate. Non inauditum

hoc erat in iis rationibus, quae rei publicae cum sociis civitatibus intercedebant, neque alia origo fuerat τῶν φόρων, qui de communi consilio belli sustentandi causa sociis imponebantur: tum notabile exemplum redimendae militiae habemus in decretis eius conventus, qui Spartae habitus est Ol. 99. 2, quae diserte commemorat Xenophon Hellen. V. 2. 21 sqq. Sed totum hoc alienissimum est ab eo, quod nunc in Hipparchico commendatur, cuiusque unum fundamentum et spes erat in civium et inquilinorum φιλοτιμίᾳ.

Non involasse, ut spero, videbor in Boeckhii doctrinam, cuius viri eruditione et ingenio delectari soleo, sed quam potui diligentissime disceptavisse. Alia opportunitate retractaturus sum ea, quae explicui ad Apsinem p. 173 sq., in quibus festinationem et temeritatem mihi exprobrat Boeckhius l. c. p. 754. a.

Ἐπιδιόρθωσις.

Quae de illo loco Lysiae explicueram (in Mnemos. VIII. p. 217 sqq.,) ea non ita multo

post digna habuit Sauppius quae, quo solet acumine et eruditione, exploraret in *Philologo* XV. Part. I: quumque demonstrare conatus essem, κατας̃άσεως illius de publico equitibus erogandae non fuisse perpetuum institutum, sed semel a Trigintaviris hanc largitionem factam esse, et hinc explicandum esse psephisma, post restitutam libertatem conditum, quo illam pecuniam repeti decerneretur παρὰ τῶν ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἱππευσάντων, operae pretium est considerare ea, quae contra disputat vir praestantissimus.

Quum enumerarem expensas, quibus necessario Trigintaviri prospicere debuissent quo dominationem suam valido praesidio firmarent, de coniectura dicebam et novum ab iis lectum Senatum, et illos τρισχιλίους, μεθέξοντας τῶν πραγμάτων, quos ipsi delegissent, mercedem accepisse videri. Nihil sane ad praesentem quaestionem pertinere quis contendat, utrum recte nec ne coniecerim: sed non admitto id, quod Sauppius opponit, omnem μισθοφορὰν adversari ingenio oligarchiae, sed propriam esse democratiae, cuius placiti sponsorem indicat Thucydidem VIII. 97, non attendens, illud μισθὸν μηδένα φέρειν μηδεμιᾷ ἀρχῇ, decretum ab iis esse, qui Quadringentorum oligarchia eversa liberam rem publicam restituissent.

De ipsa κατας̣άσει, sine ulla dubitatione coniiciendum dicit Sauppius, eam ex perpetuo instituto, igitur ante Trigintaviros iam cognitam fuisse, e fragm. Eupolidis apud Harpocrationem v. κατάςασις. Equidem non facile ex eiusmodi disticho, incognitis reliquis, historici testimonii disertam auctoritatem peterem: nihil agnosco nisi καταςάσιν λαμβάνειν, in quo additum τήνδε non sane commendat eam suspicionem, sermonem esse de pecunia quae de more publice tribueretur. Omitto praeterea, obscurum esse quid sit ἄφνω λαμβάνειν κατάςασιν· sed, quoniam haec dicuntur de sene (ὦ πρεσβῦτα), mirum si aliquis intelligeretur, qui ab Hipparcho in equitatum esset κατειλεγμένος.

Ne hoc quidem Sauppio concedo, ex ipsis Lysiae verbis, τὰς καταςάσεις ἀναπράττειν, consequi, illud institutum perpetuum fuisse; nam, si hoc Trigintavirorum fuisset inventum, dici v. c. debuisse τὰς λεγομένας καταςάσεις. Aliquid dixisset, si de vocabulo quaereretur: non item, si illo nomine, quos ipse quisque eques de suo facere sumtus soleret, appellatum est, quod nihil impedit quo minus statuamus. Recte, contra, Sauppius discedit ab Hermanno, qui quoque anno novos equites deligi solitos fuisse traderet (in Disput. de Equitibus Atticis

p. 34); quoniam inde consequeretur quotannis quoque omnibus κατάςασιν de publico tributam fuisse. Sed satis erat monere hoc ridiculum futurum fuisse, et praeterea intelligere, equitatum illum ne cogitari quidem posse, si quotannis novus deligendus fuisset; ita ut ne opus quidem esset Xenophontis verba excitare ex Hipparch. I. § 2. Ubi autem τοὺς ἱππεύσαντας sic interpretatur, quasi necessario omnes intelligerentur qui sub Trigintaviris in equitatu meruissent, sive tum demum, sive antea iam κατάςασιν de publico accepissent, propterea quod omnes propter illius temporis stipendium odiosi fuissent populo, abuti mihi videtur interpretandi libertate. Ab iis enim κατάςασιν repetere, qui eam (quod secundum Sauppii doctrinam sumendum erit) antea iam accepissent de publico, itaque non κατὰ ψήφισμα, sed κατὰ νόμον (quae duo genera expensarum valebant in rationibus reddendis), aequiparandum erat cum poena et ultione, non facile concilianda cum amnestiae decreto: satis erat, quod (ut ex Lysia Evandr. § 10 conficitur) multorum animi ita alienati erant ab iis, qui sub Trigintaviris in equitatu meruerant, ut hi solerent ἀποδοκιμάζεσθαι in Senatus δοκιμασίᾳ· neque tamen perpetuo hoc fieri, tamquam ex lege, apparet ex

hac ipsa Mantithei defensione § 8, quae verba supra (p. 136.) apposui: aliquando tantum hoc valuit, ut in illa δοκιμασίᾳ reprobaretur is, cuius nomen ὡς ἱππευκότος ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἐν ταῖς σανίσιν ἐνεγέγραπτο. Cuius auctoritatis fueriut illae σανίδες (in Mantith. σανίδιον, per contemtum), nemo explicuit. Sed, quandoquidem per illud psephisma decernebatur ἀναπράττειν τὰς καταστάσεις, non παρὰ τῶν ὡς ἱππευκότων ἐν ταῖς σανίσιν ἐγγεγραμμένων, sed ab iis, quos Phylarchi edidissent, non sane indubitatam fidem in tabulis habitam fuisse apparet in controversia de iure. Equidem suspicor illas σανίδας continuisse nomina eorum, quos ipsi Trigintaviri designassent et in Catalogum redegissent ut ἱππεύσοντας, atque hinc factum esse id, quod apud Lysiam dicitur, multos eorum qui confiterentur ἱππεῦσαι in iis non commemorari, tum nonnullos inscriptos esse qui absentes essent: deleri quoque potuisse nomina de catalogo, ipse Mantitheus exemplo est, apud Lysiam § 13. Propterea recte contendit Mantitheus, longe alio testimonio opus esse ad demonstrandum se unum τῶν ἱππευσάντων fuisse. Et quoniam decretum erat non tantum Phylarchos ἀπενεγκεῖν τοὺς ἱππεύσαντας, quippe quos diligentiorem recensionem habuisse aequum erat

eorum qui vere meruissent illo tempore, sed praeterea Phylarchos ἀποδεῖξαι τοὺς ἔχοντας τὰς καταςάσεις, haec postrema indicatio prorsus inutilis fuisset, si omnes ἱππεύσαντες κατάςασιν tenerent, in primisque omitti potuisset Syndicorum de singulis iudicium.

Permulta sunt in eiusmodi negotio explicando, quae disertam auctoritatem desiderant, sed coniectura supplenda sunt. Concedo igitur Sauppio, ut ipse coniiciat κατάςασιν perpetuo ex lege et de more tribui solitam fuisse Atheniensium equitibus: sed ea coniectura exigenda erit ad alia quae aliunde certo novimus. Constat igitur, ex lege eos ab Hipparcho in equitatum legendos fuisse, qui praestarent et opibus et corpore (Xenoph. Hipparch. I. § 9. καθιςάναι δεῖ κατὰ τὸν νόμον τοὺς δυνατωτάτους καὶ χρήμασί καὶ σώμασιν) sive lubentes, sive invitos (ἢ εἰσάγοντα εἰς δικαςήριον, ἢ πείθοντα): itaque τοῖς ἧττον δυναμένοις concedebatur eius militiae excusatio (ἀποςροφή.) Si quis contendat nondum ita probari nullam ex lege κατάςασιν tributam fuisse, quam locupletioribus quoque concessam fuisse videatur, non negligendus est hic locus (Xenoph. Hipparch. I. § 22 sq.), ubi commendatur Phylarchis τοῦ καλῶς ὁπλισθῆναι τοὺς ἱππέας συλλαμβάνειν· adiiciturque, eos

δυνατοὺς εἶναι κατὰ τὰ ἐν τῷ νόμῳ ὁπλίσαι, καὶ ἄνευ τοῦ αὐτοὶ δαπανᾷν, τῷ μισθῷ ἐπαναγκάζοντας κατὰ τὸν νόμον ὁπλίζεσθαι. Si κατάστασις usurpata fuisset, hoc postremo quidem loco non τῷ μισθῷ, sed τῇ καταστάσει ἐπαναγκάζειν dixisset. Aut nihil video, aut apertum est ex illis, suam quemque equitem κατάστασιν praestitisse. Multo firmius etiam meae coniecturae praesidium agnosco in eodem Hipparch. IX. Quum enim dixisset § 3. equitatum oportere ἐκπληρωθῆναι εἰς τοὺς χιλίους, (quum ex lege, tum ὁπλίτας, tum ἱππέας oporteret esse cives: conf. Xenoph. Hellen. VII. 1. 13), idque facilius esse civibus (i. e. civitati) εἰ διακοσίους ἱππεῖς ξένους καταστήσαιντο, quod huic novo instituto fortasse quis obiiciat sic solvit § 5: εἰς δὲ τιμὴν τῶν ἵππων νομίζω ἂν αὐτοῖς χρήματα ὑπάρξαι κ. τ. λ., unde conficiendum (quoniam αὐτοὶ intelliguntur ipsi illi ξένοι) ipsos equites et equum sibi, et necessario reliquam ὅπλισιν comparare de suo debuisse, quod quum ab illis peregrinis fortasse non exspectandum sit, unde iis istarum rerum pretium suppeditaturum esset, indicat · tum addit (§ 6) putare se inquilinorum quoque nonnullos φιλοτιμεῖσθαι ἂν εἰς ἱππικὴν (leg. ἱππικὸν) καθισταμένους, et exspectandum esse eos ἐθέλοντας τὸ προσταχθὲν

διαπράττεσθαι. Non puto quemquam dubitaturum esse, quin talia enuntiari non potuerint, nisi τῆς καταστάσεως onus ipsis equitibus impositum censeretur.

Sed priusquam reliqua quae istic sequuntur retractemus, redeundum est ad illam Mantithei defensionem. Quum enim (supra p. 146 sq.) dixissem illud οὔτε κατάστασιν παραλαβόντα vitiosum mihi videri, tum quod minus proprie ita παραλαμβάνειν poneretur, tum quod ipsa argumentatio aliud quid postularet, laudavit me Sauppius, probavitque meam suspicionem, ut corrigeretur οὔτε κ. καταβαλόντα. Re iterum iterumque considerata, dubitare coepi an vere coniecerim. Primum illud καταβάλλειν in ea pecunia deferenda dici solet, quae debeatur aerario, velut e vectigalibus, aut ex divenditis iis quae publica essent, (unde frequens κατεβλήθη in tabulis rerum navalium, apud Boeckhium): quam is, qui iudicio damnatus erat, solvebat, eam dicebatur ἀποτῖσαι· in simplici restitutione dicebatur ἀποδοῦναι. Hinc suspicor ordinem illum argumentorum, quibus Mantitheus utitur, hunc fuisse, ut primum dicat οὔτ' ἀπενεχθέντα ὑπὸ τῶν Φυλάρχων, quippe illam delationem initium esse oportebat demonstrandae acceptae καταστάσεως· tum addat οὔτε

παραδοθέντα τοῖς συνδίκοις, id est, quum illud indicium detulissent Phylarchi ad Senatum, penes quem summa cura erat aerarii, Senatum non ipsum iudicavisse, sed rem inquirendam et persequendam tradidisse Syndicis, (quemadmodum in aliis Senatus dicitur causam παραδοῦναι τοῖς θεσμοθέταις, aut τῷ δικαστηρίῳ): quumque sic perspicuum esse credam, illam Phylarchorum delationem non statim omnes indicasse a quibus κατάστασις esset repetenda, ideoque de singulis Syndicorum cognitionem requisitam esse, iure colligere inde mihi videor, in illis, quorum nomina Phylarchi detulissent, alios fuisse qui accepissent, alios qui non accepissent κατάστασιν· itaque ipsum illud παραδοθῆναι τοῖς συνδίκοις non continebat condemnationem acceptae καταστάσεως, quae tum demum in illo iudicio probanda erat. Atque hic eventus sic, ut suspicor, enuntiabatur a Mantitheo, οὔτε κατάστασιν λαβόντα. Atque haec interpretatio haud leviter firmatur verbis, de Phylarchis, quos ipsos plecti oporteret, εἰ μὴ ἀποδείξαιεν τοὺς ἔχοντας τὰς καταστάσεις, in quibus hoc inest, Phylarchos, quum τοὺς ἱππεύσαντας Senatui indicarent, reticere potuisse, gratia permotos, nonnullorum nomina eorum qui κατάστασιν accepissent, quamquam reliquos omnes ederent.

Hoc nisi probatur, et si, contra, quae Sauppii coniectura est, omnibus equitibus perpetuo et de more κατάςασιν tribui solitam fuisse sumimus, nihil video cur non his verbis usus esset, εἰ μὴ ἀποδ. τοὺς ἱππεύσαντας. Itaque conficiendum est hoc in primis impositum fuisse Phylarchis, ut non tantum tabulas eorum qui tum in equitatu meruissent deferrent, sed eos praeterea indicarent, qui, novo Trigintavirorum consilio, novi allecti κατάςασιν de publico accepissent.

Hoc quoque in Sauppii argumentatione mihi improbandum videtur, quod (p. 74) istud psephisma sic interpretatur, quasi populus ita punire voluisset omnes qui sub Trigintaviris in equitatu meruissent, quod oligarchiam defendissent. Manifesto huic sententiae repugnat concordiae decretum: nec video cur non ipsi quoque τρισχίλιοι, quorum ope et praesidio Trigintaviri usi erant, simili quadam ultione fuissent plectendi.

Nihil pertinet ad hanc quaestionem, utrum Boeckhium iure, nec ne, reprehenderim (supra p. 148) propter duplicem appellationem *equitum:* et satis mihi quidem nunc est profiteri, Sauppii excusationem nullo modo mihi probari. Sed revertor ad Xenophontem (Hipparch.

IX. § 5.) Dixeram (p. 152) redimendae militiae exemplum non facile allatum iri, ideoque nullo modo probari posse Boeckhii interpretationem horum verborum, ἱππικὸν τελεῖν, ut esset, pecuniam solvere qua quis equo merendi necessitatem sibi impositam redimeret: ipsam illam interpretationem nunc a Sauppio quoque reiici video; de re mihi non concedit vir praestantissimus, eam Athenis incognitam fuisse. Primum obiicit mihi Xenophontem Hellen. III. 4. 15. et Agesil. I. 23. Sed, quod semel Agesilaus in Asia excogitavit, et exigere potuit, ideone Athenis receptum fuisse necesse est? Nec magis hoc Sauppium adiuvaret, si excitasset locum e Xenoph. Hellenicis (VI. 2. 16), ubi narratur, quum Mnasippus Corcyram obsideret, ideo eum non ἀπορῆσαι χρημάτων, quod sociae civitates (e Peloponneso) pleraeque ἀργύριον ἀντὶ τῶν ἀνδρῶν αὐτῷ ἔπεμπον· quo pertinet alter, quem iam indicaveram, locus (ibid. V. 2. 21.) Tum, verbis εἰς δὲ τιμὴν — ἀπεχομένων μὴ ἱππεύειν, hoc necessario indicari dicit, ab iis, qui equo mereri nollent pecuniam obtineri, quod quomodo fieri potuisset, nisi adstricti fuissent illi militiae, eamque necessitatem pecunia redimere licuisset? Sed quaero a Sauppio, quid tum statuendum de iis, a quibus illam

pecuniam facile exspectare posse dicit Xenophon, παρὰ πλουσίων, ἀδυνάτων δὲ τοῖς σώμασι, καὶ παρ' ὀρφανῶν τῶν δυνατοὺς οἴκους ἐχόντων? His certe nihil erat impositum quod redimerent, addo, ne memorari quidem hos potuisse, si alii exstitissent, a quibus illa militia lege et iure exigi potuisset, quibusque concederetur ut eam soluta pecunia detrectarent. Quodque remittit me Sauppius ad locum I. § 9, non licebat ei ista verba sic interpretari, ut ista quoque detrectatio admitteretur. Dicit enim Xenophon hoc, delectum ipsum fieri per Hipparchum, quem τοὺς ἱππέας καθιςάναι δεῖ κατὰ τὸν νόμον τοὺς δυνατωτάτους καὶ χρήμασι καὶ σώμασιν, ἢ εἰσάγοντα εἰς δικαςήριον ἢ πείθοντα· unde apparet nolentes in ius vocatos ita cogi potuisse; additque, ideo eos in ius vocandos esse qui plurimum opibus valerent, ne tenuioribus esset ἀποςροφή, si illos non primos vocasset. Igitur quae ista libido Hipparchi fuisset, si διὰ κέρδος excusare potuisset τοὺς δυνατωτάτους, ita ut alios minus valentes ἀναγκάζεσθαι necesse esset? Concedi hoc nullo modo posse Sauppius ipse, ut spero, agnoscet.

Postremo videamus iterum de verbis illis, ὅτι καὶ — μὴ ἱππεύειν, quae delenda mihi videri dixeram. Fugerat me Courierium diu ante in

eandem suspicionem incidisse: tum ignorabam coniecturam C. F. Hermanni (Disput. de Equit. Att. p. 25 sq.) ut legeretur, ὅτι καὶ τοῖς καθιστᾶσι τὸ ἱππικόν, qua recepta, inquit Sauppius, omnes grammaticae difficultates concidunt, additque, pro ὅτι, restitui oportere ὅτε. In hac correctione primum vix excusandum, quod, pro Hipparcho, ponuntur οἱ καθιστάντες τὸ ἱππικόν· tum, Hipparchus non τὸ ἱππικόν, sed τοὺς ἱππέας καθίστησι, i. e. singulos, quantum eorum opus est: civitas contra καθίσταται τὸ ἱππικόν, si de novo equitatu ordinando sermo est: conf. Xenophon Cyrop. IV. 3. 8, ut de novo instituto, apud Andocid. de Pace § 5 (καὶ πρῶτον τότε τριακοσίους ἱππεῖς κατεστησάμεθα.) Lysias Evandr. § 15. Quod autem Hermannus putat, in verbis διὰ κέρδος (I. § 10) hoc inesse, ut Hipparchi interdum pecunia corrupti divitibus pepercerint, etiamsi vera haec suspicio esset (quod minime concedo), non sane valeret ad commendandum id, quod Boeckhius et Sauppius nobis persuadere conantur, eos, qui nollent equo mereri, id pecunia redimere potuisse, quae necessario aerario, non ut δῶρον, Hipparchis fuisset pendenda.

Reprehendor a Sauppio, quod dixi, »quis umquam dixit ἀργύριον τελεῖν?" et, ut ostendat

sic bene Graece dici, opponit mihi Platonem (Protag. 311. B. et C.) Attendere velim virum praestantissimum istic *ἀργύριον τελεῖν* dici de eo, qui mercedem, de qua convenerat, doctori solvit. Sic apud Xenophontem Cyrop. VI. 2. 9, de tributo dicitur: rursus M. S. II. 9. 1, de eo, quod Sycophantis solvebatur: contra in corruptione, ut *ἀργύριον λαμβάνειν*, ita *ἀ. διδόναι* dicebatur, non *τελεῖν*, quod postremum requirit certam pecuniam, quam vel lege vel pacto deberi palam constet. Sed restabant alia, quae expedire oblitus est Sauppius. Quaesieram enim, ubi esset subiectum verbi *ἐθέλουσι*? Non sane illi *αὐτοὶ*, qui necessario intelligendi sunt *ξένοι ἱππεῖς*· quodque fortasse quis malit, illud *θέλουσι* pertinere ad *τοὺς σφόδρα ἀπεχομένους μὴ ἱππεύειν*, quaero hoc ipsum, quid sit. Equidem *ἀπέχεσθαι μὴ ἱππεύειν* bene Graecum esse non puto: et negationem (*μὴ*) in eiusmodi constructione cum Infinitivo iungi puto, si praecedit verbum *negandi*, aut *vetandi* aut *deprecandi*, aut *fugiendi*: et novi *ἀπέχεσθαι τινος*, et *ἀπ. μὴ ϛρατεῦσαι*, ut apud Thucyd. V. 25: sed nisi prius probetur hanc militiae equestris detrectationem lege concessam fuisse, quum contra constet unumquemque *εἰς δικαϛήριον εἰσαχθέντα* cogi potuisse, non temere excogitan-

dum est hoc unum de tribus generibus civium fuisse a quo pecuniam exspectare liceret ad comparandam *κατάςασιν* peregrinis illis equitibus. Etenim, qua ratione Sauppius totum locum de coniectura constituit, triplicis generis homines erunt, a quibus illam pecuniam collatum iri speret Xenophon, primo loco *οἱ σφόδρα ἀπεχόμενοι μὴ ἱππεύειν*, tum *πλούσιοι, ἀδύνατοι δὲ τοῖς σώμασιν*, tertio loco orbi locupletes. Horum primum illud genus equidem non agnosco. Aliquanto melius, qui ab eo secundo loco ponuntur, a Courierio iunguntur cum illis *ἀπεχομένοις*· itaque hic interpretatur totum locum his verbis: *pour leur acheter des chevaux, je crois qu'on pourrait en lever le prix, d'abord sur ceux qui voudroient se dispenser de servir dans la cavalerie (j'entends les gens riches, de foible complexion), et aussi, ce me semble, sur les chefs de maisons opulentes qui n'ont point d'enfans.* Non attinet indicare quid in hac quoque interpretatione vitiosum sit, in primis in postrema parte. Hoc tamen extra controversiam est, ipsum illud, quod commendat Xenophon ad pretium equorum comparandum, permultum abesse ut faveat Sauppii coniecturae, *κατάςασιν* de publico tribui solitam fuisse.

Addamus nonnihil de ἱππέων δοκιμασίᾳ, quoniam hoc quoque argumentum attigit Sauppius p. 71. Is igitur Hermannum reprehendens, qui unum tantum genus δοκιμασίας fuisse demonstraverat Senatui Quingentorum commissae, statuit ipse primam δοκιμασίαν fuisse, quum cives per Hipparchum in equitum catalogum allecti essent, alteram quum universus equitatus, per turmas distributus, spectante Senatu decurreret variisque modis illius militiae facultatem exhiberet. Sed quid esse poterat, quod in illa priore scilicet δοκιμασίᾳ requirere posset Senatus et diiudicare? Singulorum designatio erat Hipparchi, qui κατὰ νόμον eos in catalogum referebat, qui et opibus et corporis viribus maxime valerent, neque eius delectus correctio erat penes Senatum, sed penes tribunal, unde novimus, eum qui quacumque excusatione uti vellet, potuisse εἰσάγεσθαι εἰς δικαστήριον· neque fingi ullo modo potest Senatum ita de singulis quaesivisse, tamquam in magistratibus et in senatoribus fieri poterat, quo iure civitatis quoque animo in rem publicam essent: in quo ne hoc quidem omittendum est, huiusmodi δοκιμασίαν non sine discrimine susceptam fuisse in omnibus, sed in iis tantum, quos certus κατήγορος in hoc iudicium vocaret.

Ex illa, quam Sauppius constituit δοκιμασίαν, hoc consequeretur, eam eodem iure exspectandam fuisse in hoplitarum catalogo, quod quam absurdum sit, quis non videt? Contra, constituto iam equitatu, ideo explorare oportebat Senatum an singulorum equi eiusmodi essent, quales ad bellicum usum esse necesse esset, quoniam annuus sumtus 40 talentorum, quae de aerario in equitatus μισθὸν καὶ σῖτον erogabantur, cum illa pecuniae publicae cura coniunctus erat, quae Senatus auctoritatem postulabat. Igitur, quae apud Xenophontem (Hipparch. I. 13. et III. 9) commemorantur δοκιμασίαι, sicut ipse hic numerus pluralis indicat, minime confundendae sunt cum illa δοκιμασίᾳ, quae in cuiusque iura et conditionem inquirebat. Neque ideo has equitum δοκιμασίας numeravit Xenophon (Rep. Att. III. 4.) in illis innumerabilibus negotiis, quae Senatum quotannis occuparent, sed tum ἀρχῶν, tum ὀρφανῶν δοκιμασίαν. Hermannus quidem recte suspicatur, illam equitum δοκιμασίαν nihil aliud fuisse quam ἐξέτασιν (coll. Xenoph. Hellen. VI. 4. 31), et potuisset addere, in ipso Hipparchico (III. 10), in ea re ἐπίδειξιν appellari.

Sunt fortasse alia quoque minus recte a me ante disputata, a Sauppio neglecta; sed hoc certe retractandum est, quod dixi (p. 50), illos

equites, ideo quod istas κατας⟨τ⟩άσεις de publico accepissent, dici posse τι τῆς πόλεως ἔχειν, id quod suscipere videtur Sauppius p. 73. Nec tamen recte dixi: nam ista locutio in ea pecunia tantum dicebatur, quam quis aliunde nactus, quum deberetur aerario, nondum solvisset: ut apud Demosthenem (Timocrat. (p. 703. med.).

Haec habui quae opponerem eruditae disputationi Sauppii, cuius coniecturam tantum abest ut probare possim, ut meam mihi multo probabiliorem videri fidenter pronuntiem, quae praesertim ex aliis actis civitatis Atheniensium haud contemnendam commendationem petat. Constat enim post Trigintaviros hanc fuisse legem latam, ut iudicia quae ἐπὶ τοῖς νόμοις ἐν δημοκρατουμένῃ πόλει facta essent, rata haberentur, contra, ὁπόσα ἐπὶ τῶν τριάκονθ' ἐπράχθη — ἄκυρα εἶναι, (Demosth. Timocrat. p. 718). Huius legis menti et voluntati in primis adversaretur psephisma, quo id repeti iuberetur quod secundum leges ἐν δημοκρατουμένῃ πόλει cuiquam tributum esst, sed egregie convenit illud ipsum quod defendo, καταςάσεις illas tum a Trigintaviris novo consilio absque legis aut moris auctoritate tributas fuisse, ideoque repetitas. Nihil hucusque offendi, quod illam interpretationem excluderet.

IV.

Tentantur uonnulla in Ciceronis Orationibus Pro Sex. Roscio Amerino, Pro Fonteio, Pro Cluentio, Pro Caecina, Pro Rabirio Perd., Pro Rabirio Postumo, In Vatinium.

Veniamus ad unum alterumque locum ex Orationibus Tullianis. Pro Sex. Amer. in exordio explicat Cicero, quae res se impulerit, ut praeter ceteros, summos oratores, ipse causam reciperet: *quia*, (inquit § 2) *si quis istorum dixisset —, si uerbum de re publica fecisset, — multo plura dixisse, quam dixisset, putaretur:* (3) *ego etiam si omnia — libere dixero, nequaquam tamen similiter*

oratio mea exire atque in vulgus emanare poterit: deinde, quod ceterorum neque dictum obscurum potest esse propter nobilitatem et amplitudinem, neque temere dicto concedi propter aetatem et prudentiam: ego si quid liberius dixero, vel occultum esse, propterea quod nondum ad rem publicam accessi, vel ignosci adolescentiae poterit. Postremis his, ut necessario coniunctio *deinde* indicat, novam rationem contineri oportebat, diversam ab iis, quae statim praecedunt. Re tamen diligenter considerata, apparet his postremis non nisi explicationem afferri eorum quae modo non satis aperte dicta erant, *suam orationem non similiter exire posse.* Quo animadverso, abiiciendum est istud *deinde*, quaeque sequuntur continuanda cum superioribus.

In his verbis § 4: *a me autem ii contenderunt — quorum ego neque benevolentiam ignorare — nec voluntatem negligere debeam.* Sententia in extremo verbo neque Coniunctivum nec Praesens patitur. Corrigendum, *debebam.*

Quum § 7 recte edatur *Sex. Roscii periculum*, corrigendum in § 9, ubi editur *pericula.*

Quum astute proposuisset quid Chrysogonus ab iudicibus postularet, ita pergit: § 17: *Si vobis aequa et honesta postulatio videtur,* —

ego contra brevem postulationem affero. — . Et perspicuitas, et Ciceronis consuetudo requirit in prioribus pronomen, *quae si vobis* —.

In § 18 haec eduntur: *nam quum hic Sex. Róscius esset Ameriae, T. autem iste Roscius Romae: quum hic filius assiduus in praediis esset quumque se voluntate patris rei familiari vitaeque rusticae dedisset, iste autem frequens Romae esset: occiditur ad balneas Palatinas rediens a coena Sex. Roscius.* In his turbatum esse statim sic agnoscitur, quod initio Sex. Roscius dicitur Ameriae fuisse, mox autem idem frequens Romae fuisse: nec tamen poterat, qui Ameriae esset, Romae occidi. Post ea quae antecedunt, necessario nunc duo isti Ti. Roscii erant commemorandi, quorum quum Capito Ameriae esset (ut e seqq. apparet), Magnus autem nunc in accusatorum subselliis, (conf. § 96 sqq.) locus ineptis supplementis liberandus sic est, et corrigendus: *nam quum Capito esset Ameriae, Magnus autem iste Romae, quum hic* (i. e. quem ego nunc defendo, ut solet illud pron. usurpari) *assiduus — dedisset, is autem — Sex. Roscius.* Ne pron. quidem *iste* ferendum erat, sed, ut solet in designatione eius qui modo indicatus erat, postulabatur *is.*

Statim post, § 19, non *occiso Sex. Roscio Ameriam nuntiat Mallius Glaucia*, sed *occisum Sex. Roscium*. Sed ipsum hoc nomen proprium bis mox interpolatum est, § 20 *pater huiusce* [*Sex. Roscius*], et § 24 *hominis florentissimi* [*Sex. Roscii*].

Melius complura ordinanda sunt quae eduntur § 28. *Nam postquam isti intellexerunt summa diligentia vitam Sex. Roscii custodiri neque sibi ullam caedis faciendae potestatem dari, consilium ceperunt plenum sceleris et audaciae, ut nomen huius de parricidio deferrent, ut ad eam rem aliquem accusatorem veterem compararent, qui de ea re posset dicere aliquid in qua re nulla subesset suspicio, denique ut, quoniam crimine non poterant, tempore ipso pugnarent. Ita loqui homines: quod iudicia tam diu facta non essent, condemnari eum oportere, qui primus in iudicium adductus esset* —. Recte in his dicitur *consilium ceperunt ut de parricidio deferrent:* sed quod subiicitur non amplius consilii est, sed id, quo consilium istud perficerent: idemque dicendum de proximis, *ut tempore pugnarent*, quae mera est consideratio. Corrigendum, *et ad eam rem aliqu. accus. vet. compararunt*,

denique , quoniam — tempore ipso pugnarunt. Confirmatur hoc partim ex Cod. Ox.

Etiamsi concedatur *complexus* passive dici posse, tamen alia de causa hoc ferendum non est § 37. *Occidisse patrem Sex. Roscius arguitur. Scelestum, dii immortales! ac nefarium facinus, atque eiusmodi, quo uno maleficio scelera omnia complexa esse videantur.* In hac lectione hoc primum vitiosum est, quod, propter relativum *quo*, *maleficium* substitui videtur *facinori:* atqui *maleficium* generalis appellatio est cuiuscumque male facti: *facinus* continuo complectitur graviorem eius formam ac speciem: in omni facinore cogitari potest maleficium, non contra. Ideo legendum, — *quod uno maleficio scelera omnia complexum esse videatur.* Patris occidendi, inquit, una actio est, unum maleficium, sed eiusmodi hoc facinus est ut omnia scelera complectatur. Ita infra § 30: *quid ab his tot maleficiis sceleris abesse videtur?* Cluent. § 31 *in fraterno parricidio nullum scelus praetermissum videtur.*

Ubi Roscius ab aeris alieni suspicione defenditur § 39, dicitur, *nihil autem umquam debuit.* Quod aliis locis aliquoties, idem hic excidit: et tum demum sana erit sententia, si

edetur, *nihil autem umquam cuiquam debuit.*

In § 49, *feret tamen aequo animo, iudices, si per vos vitam et famam potest obtinere*, requiro *poterit.* — Neque hoc, puto, contemnendum est, in § 50, *ex minima tenuissimaque re publica maximam et florentissimam nobis reliquerunt*, aliquanto melius esse ut legatur *rem publicam.*

In § 97 fin., *etiamne — coniectura capienda sit*, apertum est requiri *est.*

Ineptissime interpolatum est in his, § 103: *quum de bonis et de caede agatur, testimonium dicturus est is, qui et sector est et sicarius*, [*hoc est qui et illorum ipsorum bonorum de quibus agitur, emptor atque possessor est, et eum hominem occidendum curavit, de cuius morte quaeritur*]. Laudo qui sic ostenderit non nescire se quid esset et *sector*, et *sicarius;* sed non minus certe noverant tum iudices, qui illa profecto interpretatione non indigebant.

Posteaquam ab armis recesserunt, in summo otio rediens a caena Romae occisus est, quod dicitur in § 126, leve vitium contraxit, quoniam quod ex antecedd. quaeratur subiectum verbi *recesserunt*, nempe *praesidia*, vix cum illo verbo iungere licet. Suspicor in aliquo li-

bro vitiose scriptum fuisse *recessunt*, unde expletum esse *recesserunt*, quod ipsum ortum esse e vero *recessum est*. Sic Cluent. § 161, *discessum est*.

Ut aliquando alio transeam, hoc tamen in hac Rosciana notandum est, § 136. mire servari, *quis enim erat qui non videret humilitatem cum dignitate de amplitudine contendere?* tamquam *amplitudo* praemium esset de quo certaretur! Lege *et amplitudine*. Video nunc hoc a Weiskio occupatum esse. Qui vulgatum defendunt, non sentiunt recte quidem dici *honoris contentionem* (ut Muren. § 8), quoniam honoris vocabulo consulatus indicatur: sed alio modo ibid. § 11 et 14. appellari *dignitatis contentionem*. Conf. Planc. § 6.

In Oratione pro Fonteio § 28, quum ostenderet Orator in optimi cuiusque iudicio saepe multa ab accusatore in reum dici, quamquam falsa, haec subiicit: *quam multa M'. Aquilius audivit in suo iudicio, quam multa L. Cotta! denique P. Rutilius, qui etsi damnatus est* cet. Sed ineptum est illud *denique*, etiamsi quis putet esse pro *postremo:* nam post Rutilium L. Pisonis iudicium commemoratur; viri insignis virtutis et dignitatis. Quum

tamen hoc Rutilii exemplum in primis efficax videretur ad obtinendum id quod volebat, plura de hoc dicere instituit, neque iteravit illud *quam multa*, sed scripsit, *Quid P. Rutilius? qui etsi damnatus est. —. Ille igitur ipse homo sanctissimus ac temperantissimus multa audivit in sua causa.*

De Indutiomari testimonio haec dicuntur § 29: *non intelligebat, se in testimonio nihil praeter vocem et os et audaciam neque civibus suis, neque accusatoribus nostris praestare debere.* Non conveniunt ista Indutiomaro, qui opponitur aliorum testium religioni et pudori. Modo per ironiam dictum erat de eo, *verebatur enim videlicet —.* Contra nunc serio loquitur et Indutiomari ingenium explicat; ideoque sublata negatione, vel alio modo, vel hoc corrigendum est, *hoc intelligebat.* Sed praeterea tollendum est *vocem et:* solet talia bina ponere, sicut mox, § 36. Indutiomarus *minax atque arrogans* appellatur. De testibus Alexandrinis, Rabir. Post. § 34, *quod habent os, quam audaciam!*

L. Pisonem (inquit Orator § 39.) *quum in contionem Gracchus vocari iuberet, et viator quaereret, quem Pisonem? — cogis me, inquit, dicere inimicum meum Frugi.*

Is igitur vir, quem ne inimicus quidem satis in appellando significare poterat nisi ante laudasset, — tamen cet. Primum in his vitio ponitur praepos. *in* ante *appellando:* tum *ante laudare* ideo incongruum, quoniam illa laudatio ipsa appellatione continebatur. Propterea, tempore quoque mutato, corrigendum *nisi vitam laudaret.*

Reliqua in eadem Oratione ita tantum attingamus, ut duobus locis inutile emblema tollendum esse indicemus. Itaque § 41: — *praesertim quum tot res sint, quae vestris animis pro huius innocentis salute supplicent, primum generis antiquitas, quam [Tusculo] ex clarissimo municipio profectam — videmus* —. Tum § 46: *quod si tantas auxiliorum nostrorum copias Indutiomarus ipse despexerit, [dux Allobrogum ceterorumque Gallorum]; num etiam de matris hunc complexu — abstrahet?* Sed in his praeterea *ipse*, quod explicari nullo modo potest, ortum, ut puto, ex vitioso initio sequentis vocab. scribendi, abiiciendum est.

In Cluentiana, quum explicuisset quod Cluentio cum matre initium fuisset simultatis, antequam reliqua persequatur sic loquitur Orator § 17: *facile intelligo, non modo reticere*

homines parentum iniurias, sed etiam animo aequo ferre oportere. Sed ego ea, quae ferri possunt, ferenda, quae taceri, tacenda esse arbitror. Quum in iis quae statim subiiciuntur turpissima istius matris maleficia aperiantur, apparet, credo, ea quae postrema descripsimus vitiosam continere sententiam. Ipsa sane Coni. *sed*, quae adversativa est, admonet legendum esse, *quae ferri non possunt ferenda, — quae taceri, tacenda esse non arbitror.* Conf. ea quae statim subiiciuntur.

In § 52. haec edi video: *sed ut quidquid ego apprehenderam, statim accusator extorquebat e manibus.* Non *quidquid*, sed *simulac* apprehenderat: itaque corrig. *ut quid ego appreh.*, quam correctionem commendat sequens *statim.*

Simplex verbum restituendum in his, § 65, ubi editur *quid reticetis?* Imo, *quid tacetis?*

Videamus nonnulla in Oratione pro Caecina, statim § 4. Videntur accusatores, inquit, astute et callide fecisse. *Nam, si negassent vim hominibus armatis esse factam, facile honestissimis testibus in re perspicua tenerentur: sin confessi essent, et id, quod nullo tempore iure fieri potest, tamen ab se*

iure factum esse defenderent, sperarunt, id quod assecuti sunt cet. — Quoniam bis iam in superioribus dixit Orator Aebutium non dubitasse confiteri de hominibus armatis, corrigendum erit, *sin confessi sunt*, et *defendunt*, sicut ipsum illud *sperarunt* iam arguit.

Quoniam nemo dixerit *profiteor me defensorem hac in re*, sed potius *huius rei*, aut *causae*, necessario id, quod editur initio § 5, *qua in re*, mutetur in *quare*.

In § 6. et syntaxi vis illata est, et prava distinctione argumentatio obscurata. Editur sic: *quamquam ego mihi sic persuadeo, recuperatores, non vos tam propter iuris obscuram dubiamque rationem bis iam de eadem causa dubitasse, quam quod videtur ad summam illius existimationem hoc iudicium pertinere, moram ad condemnandum anquisisse, simul et illi spatium ad sese colligendum dedisse.* In his iam istud *videtur* corrigendum, ut sit *videretur*, tum propter praecedens *dubitasse*, tum quod totum hoc in suspensa oratione dicitur. Sed ita continuatur: *quod quoniam iam in consuetudinem venit, et id viri boni — in iudicando faciunt, reprehendendum fortasse minus, querendum*

vero magis etiam videtur, ideo quod omnia iudicia aut distrahendarum controversiarum aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt; quorum alterum levius est, propterea quod et minus laedit, et persaepe disceptatore domestico diiudicatur, alterum est vehementissimum, quod et ad graviores res pertinet, et non honorariam operam amici, sed severitatem iudicis ac vim requirit. (7) *Quod est gravius, et cuius rei causa maxime iudicia constituta sunt, id iam mala consuetudine dissolutum est.* In hac sententiae compositione, *querendum* videtur *quod omnia iudicia reperta sunt.* Sed hoc *querendum* esse significare voluit, quod talia tardissime iudicantur. Itaque legamus sic: — *querendum vero magis videtur, ideo, quod quum omnia iudicia — reperta sint, quorum alterum — requirit; — quod est gravius* cet.

In § 16. laborantem orationem corrigere alius alio modo tentaverunt, quae omnia refutare non est necesse. Mihi satis perspicuum est Ciceronem a minori ad maius progredi, ita ut reliquisse eum suspicer, *quum id plerique scirent, omnes fere audissent, unusquisque coniectura assequi posset.* Sed, in eodem

loco, ut Aebutius, i. e. is quem modo ante § 14. descripserat, dicatur *Caesenniae operam dare*, nimis absurdum est. Corrigatur *operas dare*, quod v. c. in ministro publicanorum dicitur Verr. II. § 171. III. § 94. ad Div. XIII. 9. 3. ad Att. XI. 10. 1. Parad. VI. § 46. Hoc demum convenit isti voluntario negotiorum gestori.

Persequamur alia in eadem Oratione pro Caecina. Ubi Caesenniae testamentum describitur § 17, additur: *Aebutio sextulam adspergit. Hanc sextulam illa mercedem isti esse voluit assiduitatis et molestiae, si quam ceperat: iste autem hac sextula se ansam retinere omnium controversiarum putat.* Ridiculum est *ansam retinere aliqua re:* siquidem aliquid prehendere, tenere dicimur ansâ. Expuncto nomine quod putide iteratur, legendum, *hanc se ansam retinere* —.

Ut saepe alibi, ita § 27, quod attendenti perspicuum fore confido, in verbis *Terentianus est Phormio*, postremum nom. proprium interpolatum est. Sex. Rosc. Amer. § 46, *senex ille Caecilianus.*

Manifesto tenere mihi videor emblema § 35, ubi quum adversarius contendisset Caecinam interdicto uti non posse, sed agere iniuriarum,

Orator ita pergit: *quid id ad causam possessionis? — Plus tibi ego largiar. Non solum egeris, verum etiam condemnaris licet: numquid magis possidebis? Actio enim iniuriarum non ius possessionis assequitur, sed dolorem imminutae libertatis iudicio poenaque mitigat.* Tota ista interpretatio (*actio — mitigat*) et per se intempestiva est, et abusu sermonis peccat. In bona latinitate *actioni* non hoc tribuitur, ut dicatur *ius assequi:* neque *actio mitigat dolorem:* neque *imminui libertatem* eius dicitur, qui introire aliquo prohibitus sit.

Minuta quaedam corrigenda sunt: verbi causa § 34. ut *praetermitterent* mutetur in *praetermiserunt:* § 41. *quum — loquamur*, imo *q. loquimur:* ut § 47. Et § 50, abiiciantur quae putide ad explicandum inserta sunt, *deiectus esse quisquam*, quam adiectionem respuunt etiam quae praecedunt, *illud — potest.*

Bis corrigendum est in hoc uno loco § 51: *quae lex, quod senatus consultum, quod magistratus edictum, quod foedus aut pactio, quod — testamentum, quae iudicia aut stipulationes, aut pacti et conventi formula non infirmari ac convelli potest, si ad verba rem deflectere velimus —?* In rebus pri-

vatis *iudicia* appellari non poterant, quae ne omnino quidem huius erant loci: offendit praeterea plurale in hoc et in sequenti nomine. Legendum, *quae fiducia aut stipulatio aut pacti et conventi formula — si ad verba rem flectere velimus —?* Quo uno loco *deflectere* transitive poni videbatur, Orat. § 137, cum dudum correxi.

Mox, § 52. ubi nunc editur, *sermo hercule et familiaris et quotidianus —*, non tam vetusti Cod. auctoritate abiiciendum erat prius *et*, sed ipsa ratio admonere potuerat doctissimum Editorem, nullo modo ista sic distrahi posse, nec diversa inter se cogitari.

Credibile non est § 58. Ciceronem hoc scripsisse: *quare si ad eum restituendum, qui vi deiectus est, eandem vim habet aequitatis ratio, ea intellecta certe nihil ad rem pertinet, quae verborum vis sit ac nominum.* In omni hac disputatione solet *deiectum* appellare, non *vi deiectum:* et illud substantivum per errorem irrepsit huc ex sequentibus. Sed *eandem vim habet* probari non potest, quoniam nulla alia vis in antecedd. commemoratur, quacum haec conferatur. Legamus igitur *tantam vim habet —*. Mox, ubi editur *quod in hac re quaeri nihil attinet*, exci-

dit pronom., legendumque *quod id in h. r.* Tum in fine huius § corrigendum *tamen ii ipsi*, pro *et ipsi.*

Porro nullam interpretationem quis reperiet his, § 63: quum dixisset »in his causis non »verba venire in iudicium, sed eam rem, cu»ius causa verba haec in interdictum coniecta »sint;" ita pergit: *vim, quae ad caput ac vitam pertineret, restitui sine ulla exceptione voluerunt. Ea fit plerumque per homines coactos armatosque: si alio consilio, eodem periculo facta sit, eodem iure esse voluerunt.* Quaero, quo *alio consilio?* Si vis semper eodem consilio fit deiiciendi, eiiciendi, arcendi, deturbandi, apparet non ita scriptum esse potuisse a Cicerone, sed *si alio auxilio.* Aptius *consilio et auxilio* iunguntur Sest. § 52.

In hac causa, quum defenderet Cicero mentem et voluntatem interdicti contra verborum sententiam, fieri non poterat quin exemplum excitaretur eius causae, quam Crassus contra Scaevolam in centumvirali iudicio defenderat; itaque eius causae mentio fit § 52. sq. Sed eodem reditur § 67. Quum enim Aebutius uno verbo se defenderet, contenderetque non *deiectum* esse Caecinam, accusabat, ut ei Cicero obiicit, *eos qui consuluntur, quod ae-*

quitatis censeant rationem, non verbi, haberi oportere. Et hoc loco Scaevolam, dixisti, causam apud centumviros non tenuisse: quem ego antea commemoravi, quum idem faceret, quod tu nunc, (tametsi ille in aliqua causa faciebat, tu in nulla facis) tamen probasse nemini, quod defendebat, quia verbis oppugnare aequitatem videbatur. Quum id miror, te hoc in hac re, alieno tempore, et contra, quam ista causa postulasset, defendisse: tum illud vulgo in iudiciis, et nonnumquam ab ingeniosis hominibus defendi, mihi mirum videri solet, nec iurisconsultis concedi, nec ius civile in causis semper valere oportere. In hac loci distinctione nulla sana sententia apparet. Statim occurrere debet hoc, in verbis *quum id miror* institui apodosin eorum, quae ante inchoabantur; quo uno modo istud *hoc in hac re*, ad illam Scaevolae defensionem referre licebit. Ne multa, locus sic constituendus est: *Et hoc loco, quod Scaevolam dixisti causam apud centumviros non tenuisse — quem ego antea commemoravi, quod idem faceret quod tu nunc, (tametsi ille in aliqua causa faciebat, tu in nulla facis,) tamen probasse nemini quod defendebat, quia verbis*

oppugnare aequitatem videbatur, — *quum id miror te hoc in hac re alieno tempore et contra quam ista causa postulasset defendisse*, *tum illud* cet. — Perspicuum est Ciceronem hoc obiicere adversario, quod is, quum omnino satis stulte contendisset iurisconsultorum auctoritati obtemperari non oportere, tamquam si ipse verbis et literis opponeret aequi et boni nomen, Scaevolae exemplum excitasset, qui iurisconsultus tamen causam non tenuisset; hoc igitur mirari se dicit Orator, quandoquidem ideo causam non tenuerat Scaevola, quod idem faceret »quod tu nunc," nempe ut se »verbo literaque defenderet."

In § 77, *non adest is, qui — adesse nobis frequenter in hac causa solet*, ex perpetua Ciceronis consuetudine corrig. *frequens:* ut Rosc. Amer. § 16. et passim.

Miror tamdiu Editores tulisse hoc, ut § 93. legeretur, *qui ab iure, officio, bonis moribus ad ferrum, ad arma, ad caedem confugerit* —, nec sensisse ridiculum istud *bonis* abiiciendum esse, quum perpetuo dicatur *moribus deducere*, ut § 20. 27. cet.

Restant complura in Oratione pro Rabir. Perduell. corrigenda, quamquam multa senserunt iam viri docti, quorum acumen et elegantia iu-

dicandi non erat relinquenda. Ernestus, verbi causa, rectissime viderat in § 2 verba, *in his rebus evertendis*, glossema esse. Quid hoc est, quod Orellius contendebat, verba illa »permultum ad invidiam accusatoris augendam conferre?" Nugari hoc est: potiusque animadvertendum, in consilio significando ne potuisse quidem praep. *in* usurpari; tum, nisi ratio ipsa hoc inculcaret, e constanti observatione tenendum erat hoc, nusquam apud Ciceronem post *idcirco* iterari illud ipsum quod eo pronomine indicetur: taedet eius normae exempla conquirere, sed nonnulla collegisse memini ad Legg. p. 367 et 478.

Explicandum erat Oratori quo modo consulare quoque officium Rabirium defendendum commendaret. *Non enim*, inquit § 2, *C. Rabirium culpa delicti, non invidia vitae, non denique veteres iustae gravesque inimicitiae civium in discrimen capitis vocaverunt.* —. Non indigebo, opinor, longa demonstratione *inimicitias civium* neque intelligi, neque ideo appellari posse. Fac ita significari *inimicitias civium inter se:* quid istud ad Rabirium pertineret? Sed non in multitudine cogitabantur inimicitiae, sed tantum inter privatos et paucos, quam observationem non evertit locus Fontei.

§ 33. Eademque de causa ne Rabirium quidem cum civibus inimicitias exercuisse cogitari potest. Scilicet, quae innumerabilibus locis, quamquam improbanda, tamen sine sententiae detrimento ferri potest nominis proprii interpolatio, hoc loco evertit plane sententiae consilium. Loquitur nunc in genere, ut defendat illud modo a se dictum de consulari officio; et tum per se nominis Rabirii repetitio, quem modo ante appellaverat, alienissima est, tum non hunc unum nunc cogitari vult, sed quemcumque. Ut verbo dicam, legendum est, *non enim culpa delicti — non denique veteres iustae gravesque inimicitiae civem in discr. cap. voc.* Modo dixerat, cum omnibus *civibus* in eorum periculis satis iustam sibi causam necessitudinis esse. Eodem iure in § 5 ante verba *hominis miserrimi* tollendum est interpolatum nomen proprium.

Ne hoc quidem negligi oportebat, nunc edi in § 3, *est boni consulis — ferre opem patriae, succurrere saluti fortunisque communibus, implorare civium fidem, suam salutem posteriorem salute communi ducere.* Nam, ut recte appellatur *salus communis* (ut § 30), ita nullo modo appellari possunt *fortunae communes*, quoniam *fortunae* semper sin-

gulorum sunt. Legatur *fortunisque omnium*, ut § 1 et 5. Quid intersit inter *fortunam* et *fortunas*, bene perspexit Madvig. Epist. Crit. p. 73. Plurale defendi posse videtur Tusc. I. § 99.

In eadem § 3, ubi, inde a verbis *est etiam bonorum et fortium civium*, exponit quid ab his postuletur, tum subiicitur, *ea qui secutus sit, laude potius et honore quam poena et supplicio dignum iudicare.* Quoniam haec postrema de industria ad iudices dicuntur, conveniens erit sic legere, *eaque qui* —: ut dicat, reliqua illa omnium bonorum civium sunt, tum a iudicibus hoc exspectandum.

Quum dixisset § 4, *labor in defendendo praecipue meus est*, adiicit, *studium vero conservandi hominis commune mihi vobiscum esse debebit:* sed futurum hoc otiosissimum est in hoc verbo, et leg. *debet*, quod in praecipiendo futuri quodammodo notionem continet.

Brevi post haec dicit: *agitur enim nihil aliud in hac causa, Quirites, nisi ut nullum sit posthac in re publica publicum consilium*, cet. In quibus *nisi* est e novissimi Editoris correctione, quum alii Codd. omitterent, alii *quam* haberent. Et de *quam*, saepe per errorem a librariis omisso, monuit Madvig.

ad Fin. V. § 31. Hoc tamen praefero, prae *nisi*, ratione habita eorum quae Zumptius recte disputavit Gramm. Lat. § 735, quandoquidem hoc significare vult Orator, cum unius Rabirii causa illa quoque gravissima, quae enumerat, coniuncta esse, non item quasi nihil aliud praeter istud ageretur. Quo modo *nisi* dicatur, commemoravi Bibl. Crit. N. III. p. 78. A Madvigio memini discrimen inter utrumque vindicari, sed non recte ubi hoc disputaverit.

In § 5. primum precatur a diis, *ut hodiernum diem et ad huius salutem conservandam et ad rem publicam constituendam illuxisse patiantur. Deinde vos, Quirites, — oro atque obsecro, quoniam uno tempore vita hominis miserrimi —, salus rei publicae vestris manibus suffragiisque permittitur*, cet. Sed abesse non possunt copulae; et requiritur *et vita — et salus.*

Ipsam defensionem aggressurus sic accusatorem alloquitur Cicero § 6: *Nunc quoniam, T. Labiene, diligentiae meae temporis angustiis obstitisti meque ex comparato et constituto spatio defensionis in semihorae circulum coëgisti, parebitur* cet. Cuius generis fuerit illa Labieni potestas, ut semihorae spatium praescriberet defensioni, explicare ne-

queo: sed, quamquam nullam varietatem libri Mss. afferunt, vitiosum quid remansisse in illis verbis persuasum habeo. Potuit fortasse Ciceronis diligentiae obsistere Labienus tempore defensionis circumscribendo, coarctando, angustando; nullo modo dici potest hoc fecisse *temporis angustiis*, quae sane aliquem *cogere* possunt (sicut dicitur Orat. III. § 228,) sed quod alicui instrumentum esse non potest quo utatur ad cogendum. Igitur neque hoc probandum est, neque si quis dicatur *hostes vicisse angustiis locorum.* Aliquanto rationi magis consentaneum erit, si legetur, *diligentiae meae temporis angustiae obsistunt.* — Brevi post, in verbis, *satis erit hoc mihi temporis*, de recto Ernesti iudicio tollendum erat *hoc.*

Spreta est Latinitatis ratio in his § 7: *quo in crimine* (n. locos religiosos a Rabirio violatos esse) *nihil est umquam a te dictum, nisi a C. Macro obiectum esse crimen id C. Rabirio.* Etenim non *obiicimus crimen* alicui, sed aut factum, aut vitium: idque quum facimus, sic oritur crimen, i. e. accusatio. Itaque statim post, *quid obiecerit Rabirio Macer*; non *quod crimen.* Ipse Cluent. § 62, *doce — quid praeter hoc venenum Oppianici non modo in criminis, sed in maledi-*

cti loco sit obiectum. Igitur delendum *crimen.*

Lambini suspicio, quippe unius de sagacissimis existimatoribus Latinitatis Tullianae, commemoranda est; qui in his verbis § 7, *quo in crimine propinquus C. Rabirii iudicio clarissimo, C. Curius, pro virtute sua est honestissime liberatus*, malebat hunc ordinem, *C. Curius iudicio clarissimo pro virtute sua* —. Deserendam hanc esse suspicionem censeo propterea, quod pron. *suus* ita demum recte ponitur, si ad proxime antecedens nomen referatur: de quo genere nonnihil disputavi Bibl. Crit. N. V. p. 19.

Sororis filium a Rabirio necatum esse dixerat Labienus, *quum ad iudicii moram familiaris funeris excusatio quaereretur*, § 8. Cui crimini sic respondetur, *quid enim est tam verisimile, quam cariorem huic sororis maritum quam sororis filium fuisse? atque ita cariorem, ut alter vita crudelissime privaretur, (cum) alteri ad prolationem iudicii biduum quaereretur.* De sororis filio, sed alio, cum hisce conferri potest Rabir. Post. § 45. Sed non temere pronunciabat Ernestus, ironiam huic formae (disputandi) non satis aptam esse, sine qua tamen illa, *quid tam verisimile*, explicari nullo modo possint. Ipse ma-

lebat *quid tam parum verisimile.* Corrigitur sane ita sententia. Nihilominus istud *enim* minime convenit huic responso, quo crimen istud refutatur, quod per errorem susceptum necessario peperit sequens *tam.* Legam: *quid minus est verisimile.* Tum illud *cum* non delendum ex sententia Lambini, sed mutandum in *dum.*

De loco qui est § 10, *quod utinam, Quirites* —, nondum dimitto ea quae disputavi ad Leges p. 586. Pro *utinam hoc quod ille crimen* —, novissimus Editor exhibet *ut hoc* —, ex libro Torrentii. Non probo, in hac sententiae forma, *ut* finale.

In § 13. ubi Labieni crudelitatem exagitat, sic edi video: *namque haec tua, quae te hominem clementem popularemque delectant,* I LICTOR, COLLIGA MANUS, *non modo huius libertatis mansuetudinisque non sunt, sed ne Romuli quidem aut Numae Pompilii: Tarquinii, superbissimi atque crudelissimi regis, ista sunt cruciatus carmina* —. Quam corrigendi viam iniit Ravius meus, V. L. I. p. 41, probare vix possum. Non negligendum hoc est, *namque* non in eiusmodi occupatione dici, sed *nam:* id quod non fugit Madvigium in Epist. p. 70: conf. V. V. D. D. ad Orat. I.

§ 71. Quod quum ita corruptum esset, ortum est pronomen *haec*. Ne *tua* quidem recte ista appellantur, quum essent Tarquinii, quae Labienus *lubentissime commemorabat* tantum. Simpliciter legendum censeo: *nam quae te hominem* —. Aliquanto post, *quae verba*, ante *Quirites*, recte in uno Cod. Ox. omittuntur.

Non sine causa Ernestus, quo erat acumine, haesit in his § 13. init., ubi postquam C. Gracchum Labieno opposuisset Orator, ita pergit: *tu mihi etiam legis Porciae, tu C. Gracchi, tu horum libertatis, tu cuiusquam denique hominis popularis mentionem facis, qui — violare libertatem huius populi — conatus es?* Perpetuo eos, qui aderant, *hos* appellare solet; ut *horum* necessario eodem modo interpretandum sit. Sed apparet hoc Labieno obiicere voluisse Ciceronem, quod veteres auctores tuendae civium libertatis commemorasset, ipse eam libertatem violasset in *hoc populo*, quae oppositio excludit istud *horum*. Meliori ordine ista sic legentur: *tu mihi etiam legis Porciae, tu libertatis, tu C. Gracchi, tu cuiusquam* —. Modo ante cum lege Porcia *libertatis* mentionem coniunxerat.

In § 14. complura merito offenderunt Ernestum, cuius rationem habere minus videntur

recentiores Editores. Confertur Labienus cum C. Graccho. Primum in his, *Scilicet tibi graviorem dolorem patrui tui mors attulit quam C. Graccho fratris:* recte vidit *tui* eiiciendum esse, itemque paulo post, *patruus vester*: suo loco et hoc, et pronomen usurpatur § 22. — Molestis additamentis haec quoque laborant: *et similis viri tu ulcisceris patrui mortem, atque ille persequeretur fratris:* in quibus tam *patrui*, quam *fratris* delendum esse apparet.

Auspiciorum publica iura, quod in § 17. editur, nusquam appellantur, quum ipsa auspicia non alia, in huiusmodi argumento, nisi publica intelligantur: conf. Sest. § 56. Delendum *publica*, omissum in compluribus Codd.

Quam vetus sit illa intemperantia Tullianae castissimae orationis pronominibus onerandae, apparet e Quinctiliano et Rufiniano, qui locum in fine § 18. ita excitarunt, ut alter *vocem istam*, alter *vocem vestram* describeret. Neque his utemur, et post *stultitiae* abiiciemus quoque *vestrae*.

Quo modo, quaeso, haec quis probare potest, quae eduntur eadem § init.: *nunc de Saturnini crimine ac de clarissimi patrui tui morte dicemus.* Nempe *Saturnini crimen*

est illud ipsum quod statim subiicit, *arguis occisum esse a Rabirio Saturninum:* hoc igitur falsum esse antea Rabirius docuerat: idem nunc Cicero susciperet, agnosceret, confiteretur, si sibi esset integrum, deque eo sequens est disputatio, non de Labieni *morte*, quamquam *patrui mors* bis appellatur § 14, et *mors Saturnini* § 24. Duo continuo defendit Orator; primum, si Rabirius cum iis fuit qui Saturninum et reliqnos in Capitolio oppugnarent, non hoc in crimen vocandum esse; tum a re publica desciscere non oportuisse Rabirium ideo, quod cum Saturnino esset patruus accusatoris, in cuius rei mentione castigat quodammodo huius impudentiam, § 22 sq. Nunc igitur non *de patrui morte*, sed *de patruo* dicturus erat: quo enim uno modo verba *de patrui morte* explicari poterant, ut esset de caede patrui, i. e. ut diceretur patruum a Rabirio occisum esse, h. l. probari ideo non potest, quod partic. *ac* iungere solet ea quae diversi generis sunt: istud si voluisset, dixisset *de Saturnini et patrui tui crimine.* In uno vocabulo, quod dolendum est, Halmius sprevit duorum praestantissimorum criticorum suspiciones. Nam Manutius non *clarissimi*, sed *carissimi* maluerat, Lambinus *clarissimi viri*,

quum neutri sine idonea causa vulgatum displiceret. Primum *clarissimus* certum quoddam genus habet nominum quibuscum iungatur, non tantum ut *clarissimus vir* dicatur, sed *civis* quoque, et *philosophus:* minus apte cum iis nominibus, quibus per se nulla laus, nullus honor continetur, quapropter et in 1ª. Catilinaria damnandum *clarissimus pater*, et h. l. *clarissimus patruus*. Conf. Rosc. Amer. § 51 et 147. Hinc Lambinianum *clarissimi viri:* sic enim solet, ut ad Div. XIII. 68. fin. *tuebor clarissimum virum patrem tuum*. Non contemnenda correctio, nisi quod dubitare licet an patruus iste vere vir clarissimus appellari potuerit; nusquam certe eum in magistratibus reperies; contra hominem fere ignotum fuisse conficias ex his verbis § 14. *patruus vester, quisquis fuit*. At ironiam in hoc agnoscendam esse vult et Ernestus et Halmius. Ego suum cuique sensum concedo, sed meo sensu et ab hoc loco, et a tota hac gravissima oratione alienissima est omnis ironia; ne dicam certum genus esse verborum in quibus Cicero quidem numquam ludat. Probarem Manutianum *carissimi*, si ulla significatio istius caritatis hunc locum deceret. Nihil, opinor, superest nisi ut suspicemur in illo verbo

aliud latere adiectivum cum subst. *morte* iungendum: quamquam multo melius est, utroque suppresso, legere *ac de patruo tuo dicemus.*

Merito in his § 20, *ex aedificiis armamentariisque publicis arma populo — dantur*, displicuit *aedificiorum* mentio. Quid intelligat Mommsenius, qui corrigit *ex aede Sancus*, quo ducere videtur nonnullorum librorum depravata lectio, prorsus non intelligo. Credas *aedem Castoris* appellatam esse, propter ea quae narrantur in Pison. § 23. Sed aliis hoc considerandum relinquo.

Non sine offensione, ut suspicor, leguntur haec ibid., ubi enumerat eos qui arma sumpserant contra Saturninum: quum *in foro (esset) C. Marius et L. Valerius Flaccus consules, post cunctus senatus, atque ille senatus, quem etiam vos ipsi, qui hos patres conscriptos, qui nunc sunt, in invidiam vocatis, quo facilius de hoc senatu detrahere possitis, (laudare consuevistis.)* Postrema duo verba de coniectura in Editis addita sunt, quoniam videbantur postulari ad sententiae absolutionem. Apparebit fortasse non opus esse illo additamento. Statim, in verbis *quem etiam vos ipsi*, minus diligenter *etiam* interponitur, tamquam si hoc significare voluisset,

senatum illum ab aliis laudari solitum esse ; et emphasis satis plane intelligitur in pron. *ipsi* inesse. Mox, *hos patres conscriptos* nemo probabit, nisi qui ostendere possit, praeter alloquendi formam in sententia dicenda, hoc modo Senatum designari solitum fuisse aut potuisse appellari ; quum praesertim statim post recte *hic senatus* dicatur, ita ut, satis absurde, tam brevi intervallo eandem rem duplici modo designet. Expunctis quae stulte interpolata sunt, legendum censeo, *quem ne vos ipsi quidem in invidiam vocatis, quo facilius de hoc s. d. possitis.* Nihil attinebat *hunc senatum*, qui nunc erat, in invidiam vocare, sed illum qui tum Consules secutus erat.

Tum mirifica subiiciuntur haec : *cum equester ordo — at quorum equitum [Romanorum], di immortales! patrum nostrorum atque eius aetatis, quae tum magnam partem rei publicae atque omnem dignitatem iudiciorum tenebat —.* Offendebatur his merito Lambinus: sed non tantum propter inconcinnitatem improbanda sunt. Vitiosum hoc quoque aliis visum est, ut *aetas* diceretur *tenere dignitatem iudiciorum.* Sed quid, quaeso, *patrum nostrorum* est? unde suspensus ille Ge-

nitivus? Nemo tamen concedet dici posse *equites patrum nostrorum:* ne hoc quidem, si iungatur *equites aetatis patrum nostrorum*, cuius etiam *aetatis* perquam otiosa indicatio esset, ne scilicet confunderentur cum his equitibus, i. e. qui nunc sunt. Ipsum, quod statim sequitur, adverb. *tum* excludit mentionem *eius aetatis.* Post eiusmodi admirationis formam, *quorum equitum, di immortales?* ex Ciceronis consuetudine vel statim subiici solet illud ipsum, cuius causa tam eximie praedicandi essent, sicut pro Sull. § 42. init., vel, ea ipsa forma παρενθετικῶς usurpata, continuantur ea quae praecedebant, id quod h. l. necessario postulatur. Non *equites*, sed *equester ordo tum magnam partem — tenebat.* Haec omnia me quidem adducunt ut credam ista, *patrum nostrorum atque eius aetatis* ridicule interpolata esse, et *quae* mutari oportere in *qui.* Iudicia tum erant secundum legem Semproniam.

Quod § 21 de Scaevola dicitur, *perditus morbo*, merito displicet viris doctis, qui ne *praepeditus* quidem probabant. Quidni dicatur *praeditus morbo?*

Qui assuetas aures habent elegantiae, quam in omni oratione sectatur Cicero, vix probare pote-

runt, opinor, haec § 24: *at C. Decianus — condemnatus est: et Sex. Titius — condemnatus est. Statuerunt equites Romani* cet. In primis postrema haec, sic ἀσυνδέτως illata, admonere poterant de vitio compositionis. Legendum censeo, deleto altero illo, *condemnatus est*, hoc modo: *et Sex. Titium — domi suae, statuerunt equites Romani illo iudicio improbum civem esse.* — Haud dissimili sensu motus Ravius V. L. II. p. 161 egregie correxit locum § 25, in verbis *qua in causa tute* cet.

Ubi enumerat clarissimos viros, qui auctore Mario consule arma sumserant Saturnini interficiendi causa, tandem pervenit, § 26, ad duos Mucios, L. Crassum, M. Antonium, *quorum in hac civitate longe maxima consilia atque ingenia fuerunt.* Vitiosum est *magna consilia*, quamquam *magna ingenia* non offendit. Sed corrigendum est *maximi.* Diversum est Planc. § 12, *fuit et animi satis magni et consilii.*

Quod centies usu venit, sententiae consilium formamque orationis persumdedit partic. *at*, per errorem a librariis descripta pro *et*, in his § 29: *itane vero? tantis in laboribus C. Marius — vixisset, si nihil longius, quam vitae termini postulabant, — de se cogitasset? At, credo, cum — rem publicam liberasset,*

omnia sua secum una moritura arbitrabatur. Nulla obiectio in postremis his spectatur. Duo absurda proponit, prius per interrogandi formam, alterum adhibito ironiae indicio (*credo*), eaque nectenda erant copula *et*.

Ad haec, §. 29: *Quid iam ista C. Mario, inquit, nocere possunt, quoniam sensu et vita caret?* annotaverat Ernestus, in hac forma interrogandi non solere *quoniam* addi, seque coniecisse *qui iam*, vel *quando iam*. Displicuit hoc Orellio, qui hoc subiicit: »fatigabat eum haec oratio a solito reliquarum more et modo in quibusdam sane recedens.'' Vellem hoc discrimen diligenter indicavisset vir doctissimus, nusquam a me animadversum. Mihi totum hoc (*quoniam — caret*) insititium videtur, non tam quod frigide ista explicatio adiicitur, sed quod et a Ciceronis consuetudine et a recta ratione alienum est *sensu et vita carere.* Unum hoc, *sensu carere*, recte dicitur, sicut innumerabilia exempla vel in uno Primo Tusculanarum probabunt, tum ad Div. V. 16. 4. VI. 3. 4: quis autem dixerit *mortuum vita carere?* Sed poterat, *hac luce carere*, ut Tusc. I. §. 12.

Non immerito Ernestus haerebat in hoc, § 30, quum dicitur *pro patriis fanis atque delubris*

propugnandum, malebatque *fanis* mutare in *sacris*. Et Verr. I. § 7 appellantur *religiones — sacrorum fanorumque*. Equidem leniori medicina usus, legam *patrum fanis* —: conf. Legg. II. 19 et 26. Tamen *sacra delubraque* iunguntur Fontei. § 49.

In § 31, pro *omnes ii*, necessario corrigendum *omnes hi*, quoniam istud, sicut ex iis intelligitur quae subiiciuntur, *quorum tu ex aetate coniecturam facere potes*, δεικτικῶς de praesentibus et de iudicibus dicit Orator, quos de more illo pronomine indicat.

Fore suspicor, quibus nisi contemnere, non tamen satis religiose colere videar librorum manuscriptorum auctoritatem, quod ea et rarissime utar ad iudicii commendationem, et eandem longe saepius prorsus deseram. Equidem et virorum doctorum qui illis copiis abundant laudo diligentiam, qua utuntur notanda infinita illa lectionis varietate, et gratus utor istius laboris vel fructu, vel certe eventu. Sed quoniam ex illius farraginis consideratione hoc certe didici, nullum hucusque veterem librum repertum esse qui in omnibus veram Ciceronis manum referre iudicaretur, nec umquam repertum iri credo, non tantum ubi e diversissimis optandum est unam rationem dominari oportere existimo, sed

ne omnium quidem consensus fortunae potius quam veritati tribuendus cuiusquam rationem obmutescere coëgit, aut a corrigendis iis quae manifesto vitiosa essent deterruit. Quapropter ignoscetur mihi, ut spero, si, quum aliorum industria expromtae sint et expositae omnes illae veterum membranarum copiae, in quibus perlustrandis saepe difficile est aut non ridere librariorum stuporem, aut eorum audaciae non subirasci, nihil istorum ipse repono, sed quid vitiosum hucusque alios latuerit demonstro, tum quid verum sit domestico sensu, non aliunde quaesita auctoritate anquiro. Nihil igitur mihi demonstrandum est in plerisque quae attingo, nisi primum absonum esse id quod in editis exemplis circumfertur, tum postulari id ipsum quod mihi videatur; quorum tamen utriusque iudicium omnium est eorum, qui Tulliani sermonis vim et ingenium assiduo usu rite perceperint.

In Oratione pro Rabirio Postumo complura poterant indicari, quae dudum a viris ingeniosissimis pulcre correcta tamen a recentissimis Editoribus neglecta sunt. Nunc defungar uno alteroque loco corrigendo, plura premens quae nondum licuit mihi expedire.

Et primum videamus de § 1. Assentior Ernesto, verba, quae nunc sic eduntur, *quam*

sermo — celebret, spuria esse. *Hoc*, inquit, *generi hominum prope natura datum, uti, qua in familia laus aliqua forte floruerit, hanc fere qui sunt eius stirpis quam sermo hominum ac memoria patrum virtutem celebret cupidissime persequantur.* Rectissime iudicavit de his Ernestus: me quid praeterea offendat, reticere nolo. Quae, quaeso, est ista constructio, *hanc* (*laudem*) *quam sermo hominum virtutem celebrat?* Neque concedi poterit, ut *quam* ad *stirpem* referatur. Tum, *laus* eadem est quae *virtus*. Postremo in illis, *laude florere*, iam inest illud, quod satis inscite ad interpretandum adiicitur, ut eam *sermo hominum celebrare* dicatur. Miror, quod in novissima editione video, viros doctissimos, quum haec servare vellent, frustra in corrigendis istis desudasse.

Editur § 11 hoc: *si enim quid liceat quaeritis, potestis tollere e civitate quem vultis. Tabella est, quae dat potestatem: occultat eadem libidinem: cuius conscientiam, nihil est quod quisquam timeat, si non pertimescat suam.* Quo spectat ista interpunctio? qua divelluntur ea quae necessario coniungenda erant, quoniam explicant postrema id ipsum, quod initio dicitur, *quem vultis.* Igitur et post *vul-*

tis, et post *libidinem*, tollatur maxima distinctio: *cuius* refertur ad *tabellam*.

In § 26. editur: — *quosdam etiam senatores — Neapoli, in celeberrimo oppido, cum mitella saepe videmus, chlamydatum illum L. Sullam imperatorem* —. Utor ea observatione quam expromsi Scholic. Hypomn. IV. p. 195. sq., contendoque pron. *illum* prorsus alienum esse h. l. a Ciceronis consuetudine. Quidni corrigatur, *chlamydatum etiam L. Sullam*, ut oratio superioribus continuetur.

Non ferendum est, quod legitur in § 29: » *Moreretur*," *inquies: — nam id sequitur. Fecisset certe, si sine maximo dedecore, tam impeditis suis rebus, potuisset emori.* Orellius annotavit: » sic etiam pro » Cluentio § 42. habes v. *emori* post alterum *mori*." Sed ex eodem loco animadvertere eum oportuisset e Ciceronis consuetudine, quam recte eiusmodi sententia claudatur v. *potuisset: hanc numquam accusasset Avitus, si id praetermittere, salvo capite suo, potuisset.* Idem hoc loco obtinebo, si docuero, quare istud *emori* abiiciendum sit. Non puto quemquam defensurum esse nullum omnino esse discrimen inter simplex verbum et compositum, ita

ut ista pro lubitu permutentur. *Emori* autem ita dici solet, vel si ipse quasi transitus significatur, ut in illo quod, secundum Epicharmum, Latine enuntiat Cicero Tusc. I. § 15, *emori nolo: sed me esse mortuum nihil aestumo:* vel si magno animo mortem obiri significatur, sicut Philipp. IX. § 6, de Ser. Sulpicio, *maluit in maximo rei publioae discrimine emori, quam minus, quam potuisset, videri rei publicae profuisse.* Planc. § 90, *ego vero ne immortalitatem quidem contra rem publicam accipiendam putarem, nedum emori cum pernicie rei publicae vellem.* Ita bis Cicero scripsit, *pro Pompeio emori possum*, ad Caelium II. 15. 2. et ad Att. VIII. 2. 4, quo idem dicitur quod Offic. I. § 57, *mortem oppetere.* Contra, ubi de morte, quam natura afferat, sermo est, *mori* ponitur; sicut Philipp. XIII. 45, *aequiore animo et maiore consolatione moriere:* et Tusc. I. § 97, pro *emori*, ex aliis libris restituendum est, *quid lucri est mori?* eodemque modo corrigendum Pison. § 15, *ut mori potius quam servire praestaret*, ubi constanter vulgatur *emori.* Conf. Rosc. Amer. § 26. Rabir. Perd. § 15. Coel. § 59. Quid in Catilin. I. § 20. reprehendendum sit, alio loco ostendam: sed recte Laco ille ad

Diagoram, Tusc. I. § 111. *morere*, (non *emorere*), id est, ante mortem nihil est quod fortunatius tibi contingere possit. Quod nunc Rabirii accusatori obiicit Orator, facit ridendo, quasi is dixisset, » oportuisset eum mori potius, quam apud Ptolemaeum dioecetae munus sustinere: " nullo modo cogitavisset ille de morte oppetenda: itaque ridicule quoque respondetur, *fecisset si potuisset.* Ne illo quidem Cluentianae loco defendi posse puto *emori.* Librorum nullam esse in talibus auctoritatem inconstantia lectionis et varietas arguit, qui etiam (ut alio compositi verbi exemplo utar) in ad Div. I. 7. 9. exhibent *emoneo*, cuius ratio nulla excogitari potest.

Ne in Vatiniana quidem pauca supersunt rectius constituenda. Non acriter contendo, sed suadeo ut in § 2 legatur, *nulla me causa impulit* (ab Ernesto commendatum), *nisi ut ferocitatem tuam istam comprimerem, ut audaciam frangerem, ut loquacitatem — retardarem*, pro *et aud.*, — *et loquac.*

Tum, § 7, quod editur, *at enim dixisti non mea, sed rei publicae causa homines de meo reditu laborasse*, qui proxime antecedd. inspiciat, fatebitur adversativum *at* ferri non posse. Scriptum fuerit oportet: *Ita enim*

dixisti, non mea —.

Quod nondum animadversum videtur, hoc est, quod § 8. editur: *Scilicet aspera mea natura —: nemo humanitatem meam, nemo consuetudinem, nemo consilium, nemo auxilium requirebat: cuius desiderio — forum maestum, muta curia, omnia denique bonarum artium studia siluerunt.* Si qui putant in pron. *cuius*, ex anteced. *meam*, intelligendum esse ipsum Ciceronem, non attendunt nimium ista a se invicem remota esse. Excidit id, quod saepe cum *cuius* confunditur in Mss., legendumque est — *nemo auxilium requirebat eius, cuius —*. Tum abiiciendum est *meam:* vanitatem huius Pronominis vitavit Orator ea enuntiandi forma, quam restitui.

In § 11. proprie magis hoc dicetur: *habeat hoc praemium tua indignitas, ut adolescentiae turpitudo obscuritate et sordibus suis obtegatur*, pro *sordibus tuis.* Ita Verr. Act. I. § 11. *adolescentiae maculae ignominiaeque* appellantur. Tum, in iis quae proxime antecedunt, *licet impune per me parietes in adolescentia perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris*, me si audient viri docti, delebunt verba *in adoles-*

centia, perquam redicule per se interposita, et disrupto filo orationis.

De verbis illis abiiciendis, non, spero, quisquam a me dissentiet propter locum Muren. § 63, ubi *in adolescentia*, cum excusatione eius aetatis dicitur, aut Coelianae § 43, ubi *in adolescentia* necessario dicitur. — Sed in eadem § 11, ubi editur, *quum P. Sestius quaestor sit cunctis suffragiis factus*, primum; propter syntaxin, obtemperandum erat Ernesto, iure censenti *sit* mutandum esse in *esset*. Sed praeterea, interpolatum est *quaestor*. Qui primus inseruit, ignorabat *factum* quem dici, cui opponeretur *praeteritus*, sine adiecto nomine honoris, ut Planc. § 14, 16. 62, et passim. Solet ita, ubi vel nihil interest qui honor intelligatur, vel id ipsum e reliqua oratione apparet. Igitur Muren. § 18, *quum multi pares dignitate fiant*, et ibid. § 45, *alium faciam*, et § 50, *si ille factus esset*: tum Verr. II. 121.

Ubi de Vatinii tribunatu agit, § 16, haec dicuntur: — *collegas habuisti viros fortes novem: ex his tres erant, quos tu quotidie sciebas servare de coelo, quos irridebas, quos privatos esse dicebas: de quibus duos praetextatos sedentes vides, te aediliciam praetextam togam, quam frustra confece-*

ras, *vendidisse*, *tertium scis ex illo obscuro — tribunatu consularem auctoritatem esse consecutum.* Distinxi aliquanto melius: nam, *de quibus* inchoat quasi apodosin: tamquam si diceretur, *de his igitur.* Sed in his ipsis postremis oratio sic distributa est, tamquam si tria dicerentur, primum de duobus illis, alterum de ipso Vatinio, postremum de tertio: et in ipso illo altero abest verbum finitum, quale modo est *vides*, et mox, *scis.* Hoc postremum non latuit Lambinum, qui coniiciebat, *tu — vendidisti.* Sed non tria, sed duo tantum dicenda erant, primum de duobus, tum de tertio: et manifestum est quamobrem Vatinii mentio cum illis duobus coniungi posset. Hoc obtinebimus quum legemus: *de quibus quum duos praetextatos sedentes vides, te — vendidisse meministi*, id est, hoc repulsam tuam in memoriam tibi vocat.

Unde mihi suspicio orta sit complura verba interposita esse, quae Ciceronis non sint, dicam si locum ipsum § 18. descripsero. *Simul etiam illud volo, uti respondeas, quum, te tribuno plebis, esset etiam tum in re publica lex Aelia et Fufia: quae leges saepenumero tribunicios furores debili-*

tarunt et represserunt; quas contra, praeter te, nemo umquam est facere conatus; (quae quidem leges anno post, sedentibus in templo duobus non consulibus, sed proditoribus huius civitatis ac pestibus, una cum auspiciis, cum intercessionibus, cum omni iure publico conflagraverunt:)ecquando dubitaris contra eas leges cum plebe agere et concilium convocare? num quem ex omnibus tribunis plebis, quicumque seditiosi fuerint, tam audacem audieris fuisse, ut umquam contra legem Aeliam aut Fufiam concilium advocaret? In his si ea, quae parenthesi inclusa eduntur, propterea mihi insititia videri dicam, quod tota forma huius orationis, (quam Cicero ipse ad Div. I. 9. 7. *interrogationem* appellat, quamque nihil habere dicit, *nisi reprehensionem illius tribunatus*,) respuat mentionem eorum quae anno post exstitissent, quum praesertim nihil ista ad Vatinii culpam pertinerent, non prorsus satisfaciam. Sed alia sunt, quae fortasse sint graviora. *Leges* dici *conflagravisse*, ut esset pro *sublatas esse*, audacius est pro Ciceronis modestia utendae translationis: siquidem ipse *conflagrandi* verbo numquam translate uti solet, nisi eo addito, in quo *ardor* qui-

dam insit, sicuti aliquoties *incendium* usurpat figurate. *Sedere* de consulibus, de iisdem etiam illis Pisone et Gabinio, aliquoties dicitur, non tamen addito *in templo*: utrumque per se sine controversia rectum est, non item, ut h. l., coniuncta: conf. verbi causa Sest. § 33. Quod autem dicitur, leges illas conflagravisse *una cum auspiciis*, vix ferendum est, quoniam haec ipsa erant, quae sublatis illis legibus tollere vellent. Tum vehementer dubito an *intercessiones* plurali numero in hac sententia recte dicantur, (multum diversum est in Philipp. I. § 25.) quum oportuisset *cum intercessione*, i. e. cum iure intercedendi, dici, quemadmodum Legg. III. § 24. dicitur *restincta seditio est*, non *seditiones*. In hoc quoque haereo, quod leges istae sublatae esse dicuntur *cum omni iure publico*: quod si quis ex amplificatione interpretari malit, tamen negligendum non est *ius publicum* in longe diversa re dici ad Div. IV. 4, 3. et VI. 1. 5: simili tamen amplificatione consulibus istis tribuitur *universam rem publicam esse deletam*, Sest. l. c. conf. § 53. Donec mihi demonstratum erit omnia ista recte dicta esse, tuebor meam interpolationis suspicionem.

Sine dubitatione haec verba, § 20, interpo-

latione liberanda sunt: *si id quod concupieras augur factus esses.* Abiiciendum esse *augur*, et antecedentia evincunt, et notissima forma dicendi, quam supra illustravi. Aliquoties pronominis interpretatio per errorem in textum invasit: ut Offic. II. § 84 fin.: *tanta in eo peccandi libido fuit, ut hoc ipsum eum delectaret, peccare:* quod postremum verbum expungatur. — Tum hoc monendum, in § 33. *Clodium* interpolatum esse, sicut ipsa istius nominis collocatio arguit: rectius appellatur § 36. Supra quoque, § 18, non appellavit, sed designavit Pisonem et Gabinium.

Non dissimilem interpretationem irrepsisse suspicor in hunc locum, qui est § 22: *idemque tu quum — M. Bibulum foro, curia, templis, locis publicis omnibus expulisses, inclusum domi contineres.* Neque supra § 10, neque usquam memini, ubi *templa* appellentur, addi *loca publica*, quae recte et suo loco dicuntur v. c. Verr. II. § 66 (*loca communia*, ibid. §. 112) et Agrar. II. § 36. Quare satis erit haec servare, — *templis expulsum inclusum domi contineres:* nam ita quoque tollendum est asyndeton h. l. minime opportunum.

Fieri non potest ut haec probentur, quae legimus in § 36: *eripueras senatui provin-*

ciae decernendae potestatem, imperatoris deligendi iudicium, aerarii dispensationem, quae numquam sibi populus Romanus appetivit, qui numquam a re publica summi consilii gubernationem auferre conatus est. Orellius ita reddiderat Garatonii coniecturam, quum libi haberent *qui numquam aut summi c. g. auf. c. e.* Equidem non multum curo virorum doctorum conatus sanae cuiusdam sententiae restituendae, quoniam pannus hic mihi assutus esse videtur, quantocyus dissuendus. Fac ipsa verba sine reprehensione esse; tamen, quum ἀσυνδέτως antecedentibus subiiciantur, exspectandum erat ut amplius et maius quiddam diceretur, non ut paraphrasis tantum adderetur priorum. Sed in verbis hoc primum vitiosum est, quod *auferre* ponitur non adiecto Dativo eius, cui auferatur: nam quod olim corrigebatur *a summi consilii gubernatione auferre*, aut *numquam antea summo consilio gubernationem auf.* (in quo istud *antea* prorsus ineptum est, quasi nunc conaretur populus,) manent sic omnia vitiosissima. Creditum videtur, *summum consilium* esse Senatum: neque tamen hoc conficiendum ex Orat. pro Domo § 73, ubi ista appellatio in interpretatione ponitur, et in ea oratione, quae

falso Ciceronis nomen inscriptum habet: multoque minus ex Divin. I. § 4 (*nec vero somnia graviora — a summo consilio neglecta sunt*), quoniam istic non nisi universe ea potestas in re publica intelligenda est, penes quam somniorum esset iudicium, nec senatus mentio praecedit: tum Sest. § 42 *publicum consilium* in oratione variata et figurata ponitur: conf. quae disputavi supra, p. 66 sq. De hoc quodcumque statuatur, ubicumque senatus vel summum, vel publicum consilium appellatur, manebit vera vis *consilii*, quae et deliberandi et decernendi potestatem continet: itaque Legg. II. § 30. dicitur, *continet rem publicam*, *consilio et auctoritate optimatium semper populum indigere.* Sed, huius *consilii* quae cogitari potest *gubernatio*, ita ut *consilium* dicatur *gubernari?* Imo ipsum *consilium gubernat:* ideoque recte dicitur Invent. II. § 164, per continentiam *cupiditas consilii gubernatione regitur.* Sunt haec omnino inscite et negligentissime composita: itaque sententia finiatur his verbis: — *populus Ro. appetivit.*

V.

De restituenda vera lectione Inscriptionis Atticae.

In Atticarum Inscriptionum interpretandarum ratione duae mihi videntur considerationes postulari, quas tamen non ubique servari animadverto ab iis, qui praestanti ingenio et excellenti iudicio illa antiquitatis monumenta illustrare solent. Primum requiro ut eorum, quae obscura videantur, ea quaeratur interpretatio, quae non adversetur firmiter cognitis et constanti explorataeque traditioni; tum cavendum ab eiusmodi suspicionibus in re obscura explicanda, quarum unum praesidium et una commendatio sit in eo, quod quis excogitando finxerit, sed ne analogia quidem sustentetur. Pro-

pterea operae pretium mihi visum est recognoscere disputationes virorum doctissimorum de Inscriptione, quae Athenis multis annis ante, e solo Arcis effossa, denuo edita est a Rangabeo (*Antiquités Helléniques*, Vol. I. n. 114), et postremo a Boeckhio (*Staatshaush. der Athen.* 2[te] B. s. 340. 2. Ausg.) Omissis paucis syllabis, quae in utroque latere eius lapidis conspiciuntur et vix suppleri possunt, ipsam Inscriptionem, quatenus servata est, hic subiicio:

ΤΟΙΣΕΠΙΣΤΑΤΕΣΙΗΟΙΣ
ΑΝΤΙΚΥΕΣΕΛΡΑΜΜΑΤΕΥ.
ΕΠΙΤΕΤΑΡΤΕΣΚΑΙΔΕ
ΚΑΤΕΣΒΟΥΕΣΗΕΙΜΕΤΑ
ΛΕΝΕΣΠΡΟΤΟΣΕΛΡΑΜΜ
ΑΤΕΥΕΕΠΙΚΡΑΤΕΤΟΣΑΡΧ
ΟΝΤΟΣΑΘΕΝΑΙΟΙΣΙΝ
ΥΕΜΜΑΤΑΤΟΕΝΙΑΥΤΟ
ΤΟΥΤΟΤΑΔΕ
Χ Η Η Η ΠΕΡΙΛΕΝΟΜΕΝΟΜ
ΗΓΔΔ ΜΕΝΕΚΤΟΠΡΟΤΕΡΟ
ΕΝΙΑΥΤΟ
ΠΔΔ ΧΡΥΣΟΣΤΑΤΕΡΕΣ
ΑΚΕΝΟΙ
ΣΤΑΤΕΡΕΣ
Ι.

In ipsa lectione, ut videtur, nihil incertum est, neque ulla varietas commemoratur. Tum multa alia in hoc monumento adeo perspicua sunt, ut nulla dubitatio relinquatur. Quae supersunt enim manifesto indicant has esse reliquias rationum quae redduntur pecuniae acceptae (*λημμάτων*), et expensae (*ἀναλωθέντων*); porro rationes has reddi ab Epistatis, qui *γραμματέα* habuerint; postremo, annum ipsum esse 3tium Ol. 86, sicut ex Archontis nomine conficitur. Quid igitur obscurum remanet? Verba sunt haec, vs. 3 et 4; *ἐπὶ τετάρτης καὶ δεκάτης βουλῆς*, quorum interpretandorum difficultatem sensit ex agnovit tum Rangabeus, tum Boeckhius, sed uterque alio modo superare conatus est.

Rangabeus primum existimat Epistatas intelligendos esse singulos illos, qui e Prytanibus quotidie deinceps alii isto nomine appellarentur: quam suspicionem rectissime reiicit Boeckhius l. c. p. 342. Non putabam serio fidem haberi posse iis Lexicographis et Scholiastis, qui, nescio quo auctore, affirmant clavem adeo publici aerarii in *ὀπισθοδόμῳ* servati penes illos Epistatas fuisse, ita ut quotidie ad alium transmitteretur: sed mirabar Rangabeum istius traditionis praesidium quaerere in ea Inscriptione,

quam bis edidit Boeckhius (C. I. n. 76, et Oecon. Civ. Vol. II. p. 49 sq.)[1], in qua Epistatae pertinent ad templi administrationem. Omnino Prytanum nullae partes erant in publicae pecuniae tractatione (διαχειρίζειν), neque ullae ab iis rationes exigebantur: tum quidquid publice iis mandabatur, eo fungebantur cum Senatu[2]. Quod autem illis Epistatis tribuitur γραμματεύς, quodque hunc eundem esse putat Rangabeus cum eo, quem γραμματέα τῆς βουλῆς appellari novimus, hoc quoque breviter, ut aequum erat, improbat Boeckhius (ibid. p. 259. not. *a*.)

Quum autem Rangabeus semel hoc sumsisset, hoc monumento contineri reliquias rationum publici aerarii, hoc quoque explicare conatur, quod mirum videri necesse erat, quomodo factum esse credibile sit, ut reliqua in aerario (τὰ περιγενόμενα) tam exigua edantur, nempe 1470 drachmarum (XHHHHΓΔ ΔΔ vs. 10).

---

1) παρὰ δὲ τῶν νῦν ταμιῶν καὶ τῶν ἐπιστατῶν καὶ τῶν ἱεροποιῶν τῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς κ. τ. λ. Ita in Deliaca Inscriptione (C. I. n. 2266) ἱεροποιοὶ cum ἐπιστάταις iunguntur.

2) In eadem Inscript. n. 76. § 5. ἀποδόντων δὲ τὰ χρήματα οἱ πρυτάνεις μετὰ τῆς βουλῆς.

Etenim tribus annis post illas rationes (igitur Ol. 87, 2.) Pericles in populi contione explicabat in aerario praesto esse 6000 talenta, postquam Propylaeorum aliaeque constructiones, et Potidaeae oppugnatio 3700 talenta absumsissent (Thucyd. II. 13). Igitur Rangabeus putat hunc thesaurum deberi extraordinariis collationibus sociarum civitatum ante initium belli Peloponnesiaci: quamquam nihil eius generis confici potest e Thucydidis loco, quem indicat[1]).

Longe maxima difficultas oriebatur ex his verbis (vs. 3 et 4), ἐπὶ τετάρτης καὶ δεκάτης βουλῆς. Aliis suspicionibus explosis, nihil reliquum esse dicit Rangabeus, nisi ut interpretemur, *in decimo quarto consessu Senatus*, tamquam si legeretur ἐπὶ τ. κ. δ. συνόδου τῆς βουλῆς, quamquam concedit hoc esse unicum exemplum eius formulae. Et sane ea loquendi

1) Rangab. l. c. p. 168: « *excepté les tributs ordinaires, les alliés les plus zélés, et qui trouvaient leur avantage particulier dans la guerre de Peloponnèse, avaient offert des sommes d'argent considérables aussitôt que cette guerre eût éclaté. Les Lampsaciens, comme tous les habitans de l'Hellespont, etaient de leur nombre.* Thucyd. I, 117."

ratio ab illa re quae significanda erat alienissima est, omisso illo supplemento: ipsum porro σύνοδος non usurpatur in Senatu, sed in aliis extraordinariis conventibus, ut bis apud Demosthenem: postremo, etiamsi ferenda esset ea formula per sermonis consuetudinem, tamen non erat huius loci, quoniam ita certus indicatur dies quo actum esset id quo de in hoc monumento agitur, id quod proprium esse solet psephismatum, non item reddendarum rationum, in quibus non nisi annus difiniri solet Archontis mentione et τοῦ πρώτου γραμματεύοντος.

Propterea iure mihi videtur illam suspicionem reiicere Boeckhius. Ipse vir praestantissimus eam quaestionem de industria et copiose tractat alio loco [1]). Recte refutat Meieri opinionem, Inscriptionem esse Deliacam, ita ut Senatus Deliacus intelligendus esset, et Epistatae templi cuiusdam Sociorum: et profecto nusquam in Inscriptionibus Deliacis γραμματεὺς τῆς βουλῆς appellatur, quique γραμματεὺς commemoratur initio Marmoris Sandvicensis (C. I. n. 158), pertinet ad Deliacos Amphictyones. Tenemus

1) Oecon. Civ. Vol. II. p. 590 sqq.

igitur hoc, Inscriptionem esse Atticam, neque alios Epistatas cogitandos esse quam eos qui istic τῶν δημοσίων ἔργων appellabantur: recteque Boeckhius hoc monumentum confert cum aliis Rationibus, veluti cum iis quae ad restaurationem templi Athenae Poliadis (C. I. n. 106), et quae ad constructionem Propylaeorum (Rangab. Vol. I. n. 89. A. Boeckh. Oecon. Civ. l. c. p. 336.) pertinebant. Omitto reliqua quae bene contra Meierum disputantur, ut aliquanto diligentius inquiram in eius interpretationem verborum illorum, ἐπὶ τετάρτης καὶ δεκάτης βουλῆς.

Statim agnovit Boeckhius hanc quoque formulam, sicut mentionem Archontis, et eius qui πρῶτος ἐγραμμάτευε, pertinere ad annum definiendum: sed quaerebatur quae causa esse potuerit, ut Senatus anni numerarentur, et a quo initio id factum fuerit: nam inde a Clisthene certe non numerari solitos esse, arguit ipse numerus *decimi quarti Senatus*, Ol. 86. 3. Quamquam igitur nusquam, ne levissimum quidem, vestigium deprehenditur eius moris ut Senatus anni numerarentur, hoc excogitavit Boeckhius, credibile esse tum hoc coepisse, quum nova quaedam publicorum redituum et expensarum disciplina, maxime quod ad ratio-

nes reddendas attineret, introducta esset [1]).

Non negligendum est illam hypothesin a Boeckhio destinari ad definiendum annum a quo initium duxerint illae Tabulae Tributorum, quarum fragmenta prorsus admirabili sagacitate composuit et explicavit primum Rangabeus, postea Boeckhius [2]). Ingeniose hoc inventum esse concedo, verum esse posse nego. In illis Tabulis Tributorum sane haud uno loco collegii cuiusdam (ἀρχῆς) mentio fit ante mentionem Hellenotamiarum, ita ut οἱ τριάκοντα appellentur, quod collegium aliunde prorsus incognitum est: et fieri posse largior, ut istius collegii partes quaedam fuerint in administrando eo aera-

---

1) « Die Epoche, von welcher ab gezählt wurde, « muss daher durch eine besondere und sehr bedeutende « Einrichtung bedingt sein; und da diese Zählung nur « bei einer Finanzsache, und zwar bei einer Rechnung über « Einnahme und Ausgabe einer Behörde vorkommt, viel- « leicht noch insbesondere bei einer auf Verwendung von « Tributen bezüglichen, und der Rath der Fünfhundert « die Aufsicht über das ganze Finanzwesen führte, so ist « es höchst wahrscheinlich, diese Zählung der Jahre des « Rathes habe mit der Einführung einer neuen Finanzord- « nung, insonderheit in Rücksicht der Rechnungen und « Rechenschaften über Einnahme und Ausgabe begonnen.'

2) Antiq. Hellén. Vol. I. n°. 131—248. Oecon. Civ. Tom. II. p. 369 sqq.

rio, cui sociorum tributa deberentur. Sed Boeckhius praeterea comminiscitur novam sic istarum rerum disciplinam et descriptionem ortam esse, eamque suspicionem commendat dubia lectione alius Inscriptionis [1]), ita ut ex illis Triginta novum quoddam collegium Logistarum fingat. Rursus alio loco demonstrat illos Triginta rationes reddidisse eius partis tributorum, quae templo Minervae deberetur [2]); non satis constanter. Sed quidcumque de illis Triginta statui aut divinari possit, non opinor inde firmari Boeckhii sententiam, Senatus numerandi initium factum esse inde ab instituto illo collegio. Hoc certe negari non poterit, etiamsi concedamus aliquid mutatum fuisse circa eius pecuniae administrationem, quae a tributis sociorum redibat, nihil tamen illud valere potuisse ad mutandam auctoritatem, quae propria erat Senatus in cura aerarii, ita ut novus rerum ordo in rei publicae descriptione inchoari existimaretur, id quod ne tum quidem factum est, quum Sociorum aerarium Delo Athenas transferebatur. Nihilne praeterea conficiendum est

1) C. I. n. 76. Oecon. Civ. Tom. II. p. 48 sq. — id. ibid. p. 583.

2) Ibid. p. 621.

inde, quod in nullo eorum monumentorum quae nobis cognita sunt, quaeque et eiusdem aetatis, et simillimi sunt argumenti, Senatum ita numerari videmus? Quo uno modo annus significari solet, exemplis excitatis abunde docet ipse Boeckhius [1]). Postremo, alienissimum mihi esse videtur ab ipsa indole Senatus in Atheniensium civitate, ut anni numerentur eius instituti cuius idem initium fuit cum instituta democratia, ita ut ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος, quamquam duplici nomine, unam potestatem efficiant, cuius annos numeratos fuisse prorsus incredibile est.

Multo magis aequum est ut annos numerari solitos fuisse credamus extraordinariae cuiusdam potestatis, cui certae rei cura mandata esset, in primis quum illo negotio, cui praefecta esset, peracto, ipsa illa potestas tolleretur. Exempla non longe quaerenda sunt. In ea Inscriptione, quam Rangabeus et Boeckhius ediderunt [2]), fragmentum continetur rationum redditarum ab Epistatis, quibus Propylaeorum constructio mandata erat, eaeque rationes sunt eius-

---

1) C. I. Vol. I. p. 112. a. Oecon. Civ. Vol. II. p. 594. Addatur Inscr. apud Rangab. l. c. n. 113. Boeckh. ibid. p. 228. et Psephisma Ol. 86. 4, C. I. n. 74.

2) Rangab. Vol. I. n. 89. Boeckh. l. c. p. 337. B.

dem anni, Ol. 86. 3, cuius est hoc monumentum de quo nunc agimus. Ea susceptis supplementis quae nullam dubitationem admittunt, hoc initio constat:

Τάδε Ἀθηναί[οισιν ἀνηλώθη ἐπὶ τῆς τετ
άρτης ἀρχῆς ᾗ Διογέ[νης .... ἐγραμμάτευε
ἐπὶ τῆς βουλῆς ᾗ Μετα[γένης πρῶτος ἐγραμμάτευε
Ἐπιςάται Ἀρισ[

Apparet annos numerari collegii Epistatarum, qui Propylaeis aedificandis praepositi erant, eumque annum ipsum quartum esse inde ab initio eius operis, quod Archonte Euthymene susceptum esse non tantum Philochori auctoritate novimus [1]), sed nunc quoque ex Inscriptione haud ita pridem reperta a Pittakesio [2]). Prorsus simile est hoc, quod in illis Tabulis Tributorum servari videmus, ut anni numerentur illius ἀρχῆς quae rationes reddit. Hanc igitur rationem quum et per se necessariam esse videamus, et perspicuis exemplis probari, illam, contra, quam Boeckhius commendabat, rei naturae adversari, probabilis, spero, videbitur mea suspicio, in illo lapide opificis negligentia

1) Apud Harpocrat. v. προπύλαια.

2) Vid. Diary in Turkisch and Greek waters. by the Right Honourable the Earl of Carlisle. 4th. Edit. p. 315.

tria vocabula excidise, et sic restituendam esse veram lectionem vs. 3 et 4:

ἐπὶ τετάρτης καὶ δεκάτης ἀρχῆς ἐπὶ τῆς βουλῆς κ. τ. λ.

Non reiecturos esse arbitror hoc supplementum eos, qui e diligenti usu Inscriptionum hucusque editarum animadvertere potuerunt, quam crebra sint exempla, et quam diversi generis, vitiosae lectionis in illis merito spectatis vetusti aevi monumentis, quae exempla ne opus quidem esse puto ut a me indicentur.

Sed operae pretium est attendere, qui eventus prodeat ex illa correctione. Sumamus igitur, quod ipsi Boeckhio ita videbatur, fragmentum illud pertinere ad rationes, quas Epistatae operis suscepti reddiderunt; non improbabili coniectura ita id assequimur, quod ei definiri posse nullo modo videbatur, nempe cuius operis illi Epistatae fuerint. Etenim si annus decimus quartus non est Senatus, sed collegii Epistatarum, necessario conficiendum et magnum opus fuisse cui illi praepositi fuerint, et primum rationes redditas esse Ol. 83. 2, quo anno, ut mihi verisimile videtur, Parthenonis aedificatio instituta est; ita ut rationes, quarum hoc exiguum fragmentum habemus, ad illius operis praefecturam referendae sint.

Quo anno Parthenon adificari coeperit, hucusque incertum credebatur [1]. Nihilominus recte suspicabantur viri docti Periclem pertulisse ut splendidum opus susciperetur ante quam adversarium, Thucydidem Melesiae filium, in exsilium egisset, (quod factum Ol. 84. 1) quum is aerarium exhauriri continuo ei exprobrasset per immanes illas expensas, quas tribus annis ante fieri coepisse Parthenonis aedificandi consilio, nihil est quod sumere vetet, itaque defendere meam istius anni definitionem: non certe satis constanter Grotius (Hist. Graec. Vol. VI, p. 20) sumit, splendida illa opera a Pericle suscepta esse, postquam Thucydidem ostracismo expulisset.

Non tamen reticendum est hoc obiici posse, Parthenonis aedificationem absolutam esse putari anno ante quam Propylaea inchoarentur, itaque Ol. 85. 3: unde consequeretur Epistatas Parthenonis per novem tantum annos rationes reddere debuisse, non per quatuordecim. Sed multum abest ut de anno perfecti Parthenonis diserta auctoritate constet. Non est ea nisi coniectura eorum, qui putant, eo ipso, quod ce-

1) Conf. Leakii Topographia, interpret. Baiteri et Sauppii, p. 332 sq. Beulé, l'Acropole d'Athènes. I. p. 45 sq.

lebratum signum Minervae, Phidiae opus, illo anno in Parthenone collocatum sit, indicari templi aedificationem tum perfectam fuisse [1]). Quod autem Plutarchus [2]) tradit, de celeritate, qua quae Periclis consilio susciperentur opera publica perficerentur, nihil impedit quo minus Parthenoni absolvendo aliquanto maius temporis spatium concessum fuerit: minus etiam propterea de eo dubitandum est, quod Propylaea non ultra quinque annorum operas postularint; quoniam et longe plura artis opera in Parthenone quam in Propylaeis praestanda erant, et reliquorum quoque, veluti templi Athenae Poliadis, aedificiorum constructio diuturnioribus operis constitit.

Periclem ipsum unum illorum Epistatarum fuisse, quamquam nolim affirmare, tamen perquam verisimile est: ne Anticlis quidem, *τοῦ γραμματέως*, nomen incognitum est: sed temere, deficiente alio indicio, hunc eumdem fuisse quis contendat cum eo quem Thucydides (I. 117), numerat in ducibus classis, quae ad Sa-

---

1) Boeckh. Oecon. Civ. Tom. II. p. 116. Leake Typogr. p. 333. Beulé l. c.

2) Periol. cap. XIII.

mum oppugnandam Athenis proficiscebatur Ol. 85. 3.

Circumspicientes si quid nostrae coniecturae obiici possit, offendimus hoc, Propylaeorum constructionem intra quinque annorum spatium absolutam esse, itaque vix concedi posse ut Parthenonis aedificatio ultra quatuordecim annos postulaverit. Mihi tamen videtur et toto genere, et innumerabilibus artis operibus, et magnitudine ita Propylaea a Parthenone superari, ut diuturniorem curam multoque maiores expensas fuisse necesse sit huius splendidissimi templi absolvendi. Sed dum lubens exspecto aliorum iudicia de mea opinione, tantum confido me obtinuisse, ne Boeckhii Inscriptionis illius interpretatio cuiquam probetur.

VI.

De Nomothetis in Atheniensium Civitate.

Quae quinque abhinc annis in V^to Volumine *Mnemosynes* disputavi de Nomothetis, in quibus retractabam mea, quae de illo argumento in IV^to Volumine *Scholicorum Hypomnematum* explicueram, propterea quod tum demum mihi innotuisset et praeclara Westermanni Commentatio in Primo Volumine Dissertationum Academiae Scientiarum Saxoniensis, et Grotii de isto argumento sententia, in Historia Graeciae exposita, et quod operae pretium videretur ea attendere quae Kayserus, vir clarissimus, in Annalibus Heidelbergensibus me admonuisset, — ea igitur iterum diligentius consideranda mihi

visa sunt, quum animadverterem nondum satisfactum esse explicando argumento multis de causis impeditissimo. Praeter illa honestissima invitamenta, quae modo indicavi, pepugerat me Schoemanni petulantia, qui editis *Animadversionibus de Nomothetis Atheniensium* (nuper repetitis in eius *Opusculis Academicis* I. p. 247 sqq.) eo conviciandi genere in me usus erat, quod longissime aberat ab eruditi hominis humanitate, qui dixerat etiam, quae recte (ut ipsi quidem videbatur) disputavissem, ea me sublegisse aut Westermanno, aut Grotio, quos tum scilicet ignorare me simulassem. Multo meliora et saniora exspectaveram ab eo, qui alias, quid deceret in sententiarum dissensu prae se ferre, egregie ostendisset; eiusque moderationis luculentum exemplum excitavi in Mnemosyne: et fieri potest ut Schoemanni ἀπειροκαλίαν tum aliquanto magis, quam deceret, moleste tulerim.

Tanto lubentius converto me ad Westermannum, cuius disputandi genus hoc est, ut in singulis documentis quae hodie prostant interposita in Demosthenis actionibus disceptatio instituatur utrum vera an ficta sint; ita ut, ficta si esse appareat, magna pars praesidiorum corruat quibus hucusque viri docti suam de Athe-

niensium civitatis disciplina sententiam tueri soliti sint. Quam opportuna et accepta mihi illa disputatio esset, haud attinet commemorare: ipse semel iterumque eandem considerandi viam tentaveram, veluti in lege ὕβρεως, apud Aeschinem, (vid. Epist. ad Hermann. p. 46 sqq.), in Tisameni psephismate apud Andocidem (supra Vol. IV. p. 13 sqq.), novissime in lege comitiorum, item apud Aeschinem (in Mnemos. Vol. VII. p. 329 sqq.) Et a Westermanno eandem rationem excutiendi istiusmodi documenta servari video, ut tum res ipsae explorentur, an cum reliqua ipsius oratoris conveniant oratione, et an verae aut probabiles sint per se, tum ad formam attendatur universe sermonis, quam e multis exemplis noverimus usurpari solitam esse in Atticis legibus et psephismatis, nec minus ad singula verba.

Quaesitum in primis est, utrum Solon habendus esset auctor earum legum, quibus Athenis νομοθεσία regeretur (quo vocabulo, praeter Platonem et Aristotelem, de Oratoribus unus Lysias utitur, Nicomach. fin., sed ex correctione, quum libri fere habeant νουθεσίαν, eademque confusio est apud Xenoph. Hellen. II. 3. 43) an diu post illa disciplina inventa fuerit. Non de industria hanc quaestionem excutit Wester-

mannus (p. 9), sed, quum apud Demosthenem Solon legum istarum auctor appelletur, causam ipsam et ingenium eius legislationis Demostheni visum esse dicit a Solone profectum, sed formam et descriptionem recentiorem esse iudicat, et tribuendam videri illis temporibus, quum prisca democratia instauraretur, Ol. 94. 2, Arch. Euclide. Contra, Schoemannus, statim initio *Animadversionum*, Soloni vindicat auctoritatem, quam sententiam a se probatam esse dicit in libro de Comitiis p. 265 sqq. Utitur ad demonstrandum verbis tum Demosthenis, tum Aeschinis. Sed Demosthenes in Leptinea (p. 484. § 90), ubi breviter istius legis rationem exponit, Solonem appellat *τὸν τοῦτον τὸν τρόπον προστάξαντα νομοθετεῖν*, iterumque (p. 485. § 93), intelligitis, inquit, quo modo Solon *τοὺς νόμους ὡς καλῶς κελεύει τιθέναι*. Neque intercedo quo minus apud Aeschinem in Ctesiphontea (§ 38) *ὁ νομοθέτης ὁ τὴν δημοκρατίαν καταστήσας*, intelligatur esse Solon. Quo minus autem haec simpliciter probemus hoc obstat, quod saepe ab Oratoribus et Solonis et Dracontis nomine leges commendari constat tantum ut omnia quae recte praecepta sint cum ipsis veteris Democratiae institutis conspirare existimentur. Igitur aliquanto prudentius Aeschines in Timarchea,

ubi σωφροσύνης leges explicaturus est (§ 6), et Solonem, et Draconiem, et τοὺς κατὰ τοὺς χρόνους ἐκείνους νομοθέτας earum auctores fuisse significat. Tanto magis, deficiente traditione cui fidem haberi deceat, coniecturam facere licet de tempore, quo diligentior illa praeceptio novarum legum ferendarum orta sit. Et, quandoquidem aequum esse videtur ut sumamus eiusmodi disciplinam excogitatam esse ad coërcendam tum demagogorum audaciam, tum multitudinis in contione libidinem et temeritatem, necessario inde sequitur prius exsistere debuisse abusum popularis potestatis. Sed istiusmodi abusus neque in Solonis aetatem cadit, neque in ea tempora quae brevi post secuta sunt; nec poenitet me eorum, quae scripsi olim in Mnemosyne (IV. p. 24 sqq., et V. p. 219 sq.). Ne hoc quidem negligendum est, quum post Clisthenem demum, et post Periclem, inventa ecclesiastarum et heliastarum mercede, invalescere potuerit illa multitudinis potestas, cui demagogi servirent, non certe ante illa tempora oriri potuisse illam novarum legum ferendarum levitatem, quae iusto freno esset cohibenda. Propterea mihi visus est Thucydides (VIII. 97) primus illos Nomothetas commemorasse, quorum apud Oratores tam diligens mentio fiat: et nunc

etiam contendo, quum, ut istic traditur, sublato Quadringentorum imperio, traditaque re publica τοῖς πεντακισχιλίοις, crebrae contiones essent, ἀφ' ὧν καὶ νομοθέτας καὶ τἄλλα ἐψηφίσαντο εἰς τὴν πολιτείαν, sic haec esse interpretanda, ut praeter τὰ ἄλλα, de quibus tacet historicus, Nomothetae illi pariter εἰς τὴν πολιτείαν instituti fuerint, id est, ad iustam et prudentem potestatum in civitate disciplinam et descriptionem: nec falso mihi videor monuisse, nisi tum primum illa Nomothetarum potestas fuisset instituta, nihil causae futurum fuisse cur eos nunc commemoraret Thucydides. Quo instituto si quid imminutum videatur de multitudinis immoderata potestate, (universe hoc argumentum attigi Mnemos. IX. p. 181 sqq.) multo tamen melius sic obviam factum esse novarum legum ferendarum libidini, quae ante fuisset, existimabitur, quam per ipsos Quadringentos, qui, ut auctor est Thucydides (VIII. 67) παρανόμων γραφὰς sustulerant, quo ipso indicari mihi videtur nullum antea frenum exstitisse quo novandarum legum licentia cohiberetur, eoque sublato libertatem ipsam tolli potuisse, sicut postea ipse iudicavit Demosthenes (Timocrat. p. 748 med.). Igitur Aeschines has παρανόμων γραφὰς (Ctesiphont. § 5) tanti momenti habe-

bat, ut, reliquis amissis, *ἐν ὑπολείπεσθαι μέρος τῆς πολιτείας* diceret, propter ipsam illam effrenatam legum et psephismatum ferendorum cupiditatem quae tum invaluerat: qua opinione quo modo sycophantae abuterentur, conficere licet ex Oratione contra Theocrinem p. 1333. § 34.

Qui Thucydidem non ita interpretantur. et Nomothetas post Trigintaviros eiectos demum (Ol. 94. 2) institutos coniiciunt, eos nolim uti auctoritate Andocidis (Myster. § 81—84). Primum, quid mihi de Tisameni psephismate videatur, dixi tum, quum hanc quaestionem excutiebam (Vol. IV. p. 13 sqq.); totum confictum esse, ex innumerabilibus indiciis conficitur, nec probare possum Westermannum qui istius documenti bis usurpat auctoritatem (l. c. p. 23 et 29). Sed quid ipse Andocides? Quum decretum esset, inquit, *μὴ μνησικακεῖν ἀλλήλοις τῶν γεγενημένων, εἵλεσθε ἄνδρας εἴκοσι· τούτους δὲ ἐπιμελεῖσθαι τῆς πόλεως ἕως ἂν οἱ νόμοι τεθεῖεν· τέως δὲ χρῆσθαι τοῖς Σόλωνος νόμοις καὶ τοῖς Δράκοντος θεσμοῖς. ἐπειδὴ δὲ βουλήν τε ἀπεκληρώσατε νομοθέτας τε εἵλεσθε εὕρισκον τῶν νόμων τῶν τε Σόλωνος καὶ τῶν Δράκοντος πολλοὺς ὄντας οἷς πολλοὶ τῶν πολιτῶν ἔνοχοι ἦσαν τῶν πρότερον ἕνεκα γιγνομένων* (f. *γεγενημένων*), *ἐκκλησίαν ποιήσαντες*

ἐβουλεύσασθε περὶ αὐτῶν καὶ ἐψηφίσασθε, δοκιμάσαντες πάντας τοὺς νόμους, εἶτ' ἀναγράψαι ἐν τῇ ϛοᾷ τούτους τῶν νόμων οἳ ἂν δικιμασθῶσι. In his igitur primum perperam quis illos Nomothetas, quos nempe populus suffragiis designavisset, diversos esse putet ab illis εἴκοσιν ἀνδράσι, quos modo dixerat statim creatos esse: itaque hi certe non confundendi sunt cum illis Nomothetis quos e Leptinea et e Timocratea Demosthenis cognovimus. Sed quid sibi vult, quod iis mandatum fuisse dicitur, ἐπιμελεῖσθαι τῆς πόλεως donec leges latae essent? Non sane fuerunt ξυγγραφεῖς αὐτοκράτορες, ut illi qui Quadringentos constituerant, (Thucyd. VIII. 67), neque intelligi possunt eius generis, cuius ii erant qui Quadringentis sublatis psephismate constituebantur (ibid. 97); quoniam istic de perpetuo instituto, non de extraordinaria potestate sermo est, quae finem habitura esset simulac leges recognitae et inscriptae essent; multoque minus eam habuere potestatem, quam Trigintaviri, αἱρεθέντες ἐφ' ᾧ τε ξυγγράψαι νόμους καθ' οὕϛτινος πολιτεύσοιντο (Xenoph. Hellen, II. 3. 11). Accedit quod in Xenophontea brevitate, ubi restitutam democratiam post Trigintavirorum dominatiouem commemorat, nihil nisi hoc dicitur, visum esse τοῖς νόμοις τοῖς ἀρχαίοις χρῆ-

σθαι, additurque, καὶ τότε μὲν ἀρχὰς καταςησάμενοι ἐπολιτεύοντο.

Ut vere dicam, non cadit in illa tempora, ut viginti viris mandatum fuerit ἐπιμελεῖσθαι τῆς πόλεως, quum simul et Senatus Quingentorum restitueretur, et reliqui magistratus, ita ut pristina forma democratiae reviviscerct, neque ulla extraordinaria potestate opus esset. Dubitare non licet quin Pollux (VIII. 112) haec ipsa Andocidis verba interpretetur, ubi habet: οἱ εἴκοσι. τούτους εἵλοντο μετὰ τοὺς τριάκοντα τῆς πολιτείας καὶ τῶν νόμων ἐπιμελητάς, ἀριςίνδην ἐπιλεξάμενοι· in quibus tamen ex Attica sermonis proprietate vix probari potest ut aliqua appelletur ἐπιμέλεια τῆς πολιτείας καὶ τῶν νόμων, et ἐπιπεληταί in multum diversis rebus nuncupari solent. Sed prorsus futile est quod addit, ἀριςίνδην ἐπιλεξάμενοι, quae locutio in multum diverso delectu usurpatur. Id, quod Pollux reddere voluit, aut quod ab eo non intellectum ipse prave exposuit, hoc fuisse suspicor, illis *viginti* hanc curam mandatam fuisse, ut de legibus optimas deligerent. Mitto alia, quae in verborum structura apud Andocidem mira videri necesse est, (veluti εἵλεσθε ἄνδρας — τούτους δὲ ἐπιμελεῖσθαι, pro eo quod quis exspectavisset τοὺς ἐπιμελησομένους, vel ἐφ' ᾧ τε ἐπιμε-

λεῖσθαι, vel οἵτινες ἐπιμελήσοιντο); sed verba ἕως — τεθεῖεν necessario sic interpretanda sunt, quasi novae leges tum quaesitae fuissent καθ' οὕςτινας πολιτεύσοιντο, et Solonearum legum auctoritas interea tantum usurpanda esset, id quod alienissimum est ab illorum temporum indole. Tum, quid est hoc, νομοθέτας τε εἵλεσθε, εὕρισκον κ. τ. λ.? Quod Reiskius commendabat, ut legeretur οὗτοι δὲ εὕρισκον, ideo probari nequit, quod ita istis Nomothetis hoc munus impositum videretur, ut ipsi leges τοὺς κειμένους explorarent, recognoscerent, et ordine describerent. Sed, etiamsi concedamus, quod tamen facere recusamus, istiusmodi legum recognitionem tum peculiari magistratui mandari potuisse, apud Andocidem tamen ὕςερον πρότερον poni videbitur, quum commemorat primum illos scilicet Nomothetas creatos esse, post autem esse repertum quam necesse esset leges sic explorare, ut nova sanctione in concordiam vindicarentur cum praesenti civitatis voluntate. Sic manifestum est, apud Andocidem omnia ita perturbata esse, ut neque verba purae orationis legibus satisfaciant, nec sententiae ipsae cum necessaria historiae veritate conspirent. Eam perturbationem et obscuritatem tantum abest ut dispellat Schoemannus (Animadv. cit. p. 7), ut,

quamquam a Westermanno didicerat quam vana et fallax esset auctoritas documentorum publicorum quae Atticorum Oratorum voluminibus inserta servantur, tamen ex illo Tisameni psephismate apud Andocidem (Myster. § 84) sumat »post exactos triginta tyrannos pagatim creatos »esse viros quingentos ad leges recognoscendas »novasque aut ferendas aut ab aliis latas exami»nandas probandasque, qui et ipsi Nomothetae »dicerentur." Alia, quae essent in illo Tisameni psephismate erroris arguenda, notaveram diu ante (Scholic. Hypomn. IV. p. 13 sqq.) Sed ne hoc quidem offendisse istic Schoemannum videtur, quod duo eaque diversa genera potestatum eodem Nomothetarum nomine appellantur; primum ii, quos Senatus legisset (*ᾑρημένοι νομοθέται ὑπὸ τῆς βουλῆς*), tum, quos numero quingentos populares creavissent (*οἱ νομοθέται οἱ πεντακόσιοι οὓς οἱ δημόται εἵλοντο, ἐπειδὴ ὀμωμόκασιν*), neque ullam fraudis suspicionem ei obortam esse credo, quum tria aeque ridicula traderentur, et a Senatu Nomothetas creari, et ab iis qui *δημόται* appellantur, et hos demotas iuratos esse. Denorum magistratuum creatio, et ipse quingenorum numerus Senatorum, rationem habere poterat in tribuum numero; quingenorum autem Nomothetarum numerus quo

modo conciliabitur cum numero τῶν δήμων? Sed, missis his, quo modo Schoemannus ipse suorum Nomothetarum munus explicat? Creatos esse dicit illos quingentos »ad leges recognoscendas novasque aut ferendas aut ab aliis »latas examinandas probandasque." Non curo nunc an hoc ex illo praeclaro psephismate efficere potuerit; sed nemo sanus hoc probabit, Atheniensibus in mentem venire potuisse, ut iisdem hominibus, eidem collegio, et ferre leges mandarent, et easdem δοκιμάζειν. Quam longo intervallo a veritate absit is, qui illud psephisma finxit, nunc non attinet demonstrare: sed suspicari licet eum duplex illud Nomothetarum genus informasse e depravata Andocidis oratione, in qua non equidem quidquam corrigere ausim, et tamen libere profiteri quid mihi necessario dici ab oratore oportuisse videatur.

Ut ex iis perspicuum est quae subiiciuntur, brevi commemoratione eorum quae Athenis et ante et post eiectos Trigintaviros acta essent, hoc spectavit Orator, ut obtineret Athenienses nunc non nisi τοῖς νόμοις τοῖς κειμένοις ἀπ' Εὐκλείδου ἄρχοντος uti (§ 89), quod praemunire voluisse eum reliquae causae suae defensioni. Hinc necesse est ut huius novae constitutionis statim mentionem fecerit, neque eius tamquam

ex accidente meminerit (εὕρισκον κ. τ. λ.), quasi Nomothetae et, sicut Senatus Quingentorum, ad sollemnem et patrium civitatis statum pertinerent, et creari potuissent etiamsi nihil exstitisset quod veteres leges recognosci suaderet. Huic proposito in primis conveniret, si videremus Andocidem scripsisse (sicut Thucydidem), ἐπειδὴ δὲ βουλὴν ἀπεκληρώσατε, νομοθέτας ἐψηφίσασθε. εὑρόντες γὰρ τῶν νόμων κ. τ. λ, qua ratione hoc consequeremur, ut postrema haec afferrent explicationem eius rationis, quam in decernenda Nomothetarum potestate secuti tum essent Athenienses: quamquam, si meum fuisset, sic potius sententiam composuissem, ἐπειδὴ δὲ βουλὴν ἀπεκληρώσατε, εὑρόντες τῶν νόμων — πολλοὺς ὄντας οἷς πολλοὶ τῶν πολιτῶν ἔνοχοι ἦσαν τῶν πρότερον ἕνεκα γεγενημένων (sic secundum § 91 correxi vulg. γιγνομένων), ἐκκλησίαν ποιήσαντες ἐβουλεύσασθε περὶ αὐτῶν, καὶ ἐψηφίσασθε δοκιμάσαι πάντας τοὺς νόμους κ. τ. λ., quo modo aliquanto post (§ 89) dicitur ἔδοξεν ὑμῖν δοκιμάσαι μὲν τοὺς νόμους, δοκιμάσαντες δὲ ἀναγράψαι. Quemadmodum enim Nomothetarum mentio hoc postremo loco omissa est, ita ne ante quidem postulabatur, neque ea quidquam ad Oratoris consilium pertinebat. Et profecto, si loci Thucydidei (νομοθέτας ἐψηφίσαντο), quem supra

tractavi, interpretatio probatur, Nomothetarum institutum iam continebatur disciplina civitatis, neque post Trigintaviros demum nasci potuit, sed, propter ea quae interea acciderant, omnes omnino leges, quae hucusque viguissent, eorum sanctioni erant subiiciendae.

Itaque post Trigintaviros non novum quid excogitatum fuit, sed continuatum iterumque susceptum id, quod octo annis ante susceptum fuisse videtur, nempe ἀναγράψαι τοὺς νόμους τοὺς Σόλωνος, quod tum Nicomacho δημοσίῳ, ut ἀναγραφεῖ, mandabatur (Lysias Nicom. § 2). Sed de Nicomacho, qui et ante et post Trigintaviros illo ministerio functus esset, satis, ut mihi videtur, exposui in Scholicis Hypomn. IV. p. 6 sqq. Non tamen negligendum, in illa Lysiae oratione ne verbo quidem appellari Nomothetas, neque τῶν νόμων δοκιμασίαν, quam tamen exstitisse necesse erat ante earum legum ἀναγραφὴν εἰς τὴν ϛόαν, ut dicit Andocides (l. c. § 85). Tamen minus credibile est utrobique idem genus ἀναγραφῆς intelligi. Potius credamus δοκιμασίαν illam, in qua Nomothetae supremi iudices futuri erant, hoc postulasse, ut leges Soloneae, quae κύρβεσι, aut, secundum alium loquendi usum, ἄξοσι continebantur, multitudini cognoscendae proponi debuerint, quo

maiori fiducia unusquisque de unaquaque lege vel servanda vel antiquanda iudicare posset. Quo magis igitur existimem illam Nicomachi ἀναγραφὴν diversam fuisse ab sollenni ἀναγραφῇ quae non nisi τοὺς νόμους τοὺς δοκιμασθέντας complecteretur, (sicuti apud Andocidem explicatur), hoc utor argumento, quod illa ἀναγραφὴ Nicomacho, qui tum ὑπογραμματεὺς erat et δημόσιος, psephismate mandata fuerat, quo simul imperabatur unde, i. e. e quibus legum monumentis, eum transscribere oporteret (διωρισμένον ἐξ ὧν ἔδει ἀναγράφειν. Lysias l. c. § 4. cf. § 5 et 17). Nam, quod sane nusquam diserte traditur, suspicari tamen licet per illam Trigintavirorum libidinem dominandi Solonearum aliarumque legum tabulas non quidem deletas fuisse, sed ita neglectas per contemtum, ut diligenter eas conquirere necesse esset, et perquam verisimile est hoc negotium mandatum fuisse illis viginti viris, quos Andocides commemoravit. Hoc demum negotio confecto suscipi potuit illa legem δοκιμασία· neque quas Nicomachus transscripsisset, sed postea τοὺς κυρωθέντας ἀνέγραψεν εἰς τὴν ϛοὰν (Andocid. l. c. § 85), id, quod inde mutuatus est is qui composuit istud Tisameni psephisma (fin.), τοὺς δὲ κυρουμένους τῶν νόμων ἀναγράφειν εἰς τὸν τοῖ-

χον — σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ. Sed ne hic quidem praetereundum est fraudis argui illum scriptorem pravo verborum usu: nam illud σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ sumsit e Timocratea § 18, ubi istud recte dicitur de legibus quae publice exponerentur ad δοκιμασίαν, quasque ita qui vellet (ὁ βουλόμενος), si consideravisset, vel defendere, vel oppugnare posset; contra, quae exploratae et perlatae essent leges (οἱ νόμοι οἱ δοκιμασθέντες καὶ κυρωθέντες) proponebantur ἵνα πᾶσιν ᾖ ἀναγνῶναι καὶ μαθεῖν, ut dicitur in Leptinea § 93. Universe, quid interfuerit inter Nicomachi ἀναγραφήν, eamque quae legum δοκιμασίαν sequebatur, sensisse mihi videtur Grotius in Historia Graeciae (Vol. VIII. p. 306—308), quem tamen nihil offendit in illo Tisameni psephismate.

Sed operae pretium est attendere ad peculiare Andocidis consilium, cuius causa illam rerum actarum expositionem profert, nempe ut demonstret, quamquam rerum privatarum rationes contractae resque ex illo genere iudicatae ἐν δημοκρατουμένῃ τῇ πόλει servandae essent, causarum tamen publicarum actiones suscipi non licuisse auctoritate legum quae ante fuissent, sed tantum earum praesidio, quae per illam δοκιμασίαν et ἀναγραφὴν inde

ab Euclide demum Archonte valerent (*τοῖς νόμοις τοῖς κειμένοις χρῆσθαι ἀπ' Εὐκλείδου ἄρχοντος*), ita ut quae ante commissa essent in ius vocare non liceret (conf. Andocides l. c. § 88 sq.) Et sic demum confirmabatur id quod prius decretum erat, *μὴ μνησικακεῖν ἀλλήλοις τῶν γεγενημένων*. Hinc manifestum esse opinor nihil tradidisse istic Andocidem de novarum legum ferendarum disciplina, neque cogitavisse de illo Nomotherarum collegio, cuius diligentiorem notitiam debemus Demosthenis Leptineae et Timocrateae. Consequitur ex hac rerum istarum interpretatione, *δοκιμασίαν* illam, quam tum susceptam esse commemorat Andocides, nihil aliud spectavisse quam *τῶν νόμων τῶν κειμένων* novam promulgationem, neque fuisse certum institutum cuius perpetuus usus esset. Contra, qui Quadringentis sublatis apud Thucydidem l. c. dicuntur psephismate instituti esse Nomothetae, (in quo non negligendum dici *ἐψηφίσαντο*, non, ut in aliis, *εἵλοντο*), pertinebant ad *τὴν πολιτείαν*, i. e. potestatum in re publica descriptionem, ita ut exsisteret id, quod Thucydidi in primis praedicandum videbatur, *μετρία ἐς τοὺς ὀλίγους καὶ τοὺς πολλοὺς ξύγκρασις*. Et in hac moderatione *τῆς πολιτείας* non tantum non alienum erat, sed dece-

bat etiam eiusmodi institutum diserte commemorari, quo multitudinis levitati aliquod frenum iniiciebatur. Si, quod aliis probatur, Nomothetarum institutum iam inde a Solone fuit, nihil opus erat a Thucydide eos, tamquam novum quiddam commemorari: et, si tamen novum quid protulisset Thucydides, non diversos illos Nomothetas fuisse necesse esset ab illis, qui ante *ξυγγραφεῖς αὐτοκράτορες* creati fuissent, id quod minime omnium valuisset *εἰς πολιτείαν*, i. e. ad confirmandam civium libertatem.

Sequitur ut videamus an illud Nomothetarum institutum ab Aeschine indicetur (Ctesiph. § 38.), id quod Westermanno p. 3. non dubium esse videtur, mihi propterea diligentius explicandum est, quoniam corrigenda esse video quae ante disputavi de hoc loco Mnemos. V. p. 208 sq.). Contendit orator, fieri non posse ut tanta negligentia dominetur in legum promulgatione, *ὥσ' ἀκύρους νόμους ἐν τοῖς κυρίοις ἀναγεγράφθαι καὶ δύο περὶ μιᾶς πράξεως ὑπεναντίους ἀλλήλοις.* Non est ita, inquit: *οὔτ' ἠμέληται περὶ τῶν τοιούτων τῷ νομοθέτῃ τῷ τὴν δημοκρατίαν κατασήσαντι, ἀλλὰ διαρρήδην προστέτακται τοῖς θεσμοθέταις καθ' ἕκασον ἐνιαυτὸν διορθοῦν ἐν τῷ δήμῳ τοὺς νόμους, ἀκριβῶς ἐξε-*

τάσαντας καὶ σκεψαμένους εἴ τις ἀναγέγραπται νόμος ἐναντίος ἑτέρῳ νόμῳ, ἢ εἴ που εἰσὶ νόμοι πλείους ἑνὸς ἀναγεγραμμένοι περὶ ἑκάστης πράξεως, κἄν τι τοιοῦτον εὑρίσκωσιν, ἀναγεγραφότας ἐν σανίσιν ἐκτιθέναι κελεύει πρόσθεν τῶν ἐπωνύμων, τοὺς δὲ πρυτάνεις ποιεῖν ἐκκλησίαν ἐπιγράψαντας νομοθέτας, τὸν δ' ἐπιστάτην τῶν προέδρων διαχειροτονίαν διδόναι τῷ δήμῳ, καὶ τοὺς μὲν ἀναιρεῖν τῶν νόμων τοὺς δὲ καταλείπειν, ὅπως ἂν εἷς ᾖ νόμος καὶ μὴ πλείους περὶ ἑκάστης πράξεως. Tum, recitatis illis legibus (quae tamen insertae non sunt), ita pergit § 40, ut iterum significet Thesmothetarum fuisse ἐξευρεῖν ista incommoda, Prytanum autem ἀποδοῦναι τοῖς νομοθέταις.

Statim cum illo loco coniungamus alium Demosthenis Leptin. § 91, ubi, postquam expli-cuisset et laudasset disciplinam νομοθεσίας, i. e. novarum legum ferendarum, hoc subiicit, spreto illo instituto factum esse ut tot leges inter se contrariae fierent, ὥστε χειροτονεῖθ' ὑμεῖς τοὺς διαλέξοντας τοὺς ἐναντίους ἐπὶ πάμπολυν ἤδη χρόνον, καὶ τὸ πρᾶγμα οὐδὲν μᾶλλον δύναται πέρας σχεῖν.

Manifestum est ab utroque oratore eandem pestem civitatis commemorari, nempe ἐναντίων σφίσιν αὐτοῖς νόμων, sed aliud ab alio

eius mali remedium explicari. Etenim apud Aeschinem rei auctoritas tribuitur Thesmothetis, quibus προστέτακται διορθοῦν τοὺς νόμους, ita ut potestas ipsa populi contioni reservetur: contra, apud Demosthenem non certi commemorantur magistratus quotannis sorte creati (sicut Thesmothetae), sed alii, suffragiis creati ad illud negotium, quos appellat τοὺς διαλέξοντας τοὺς ἐναντίους νόμους, quorum tamen similem in eo negotio auctoritatem fuisse suspicor, quae apud Aeschinem Thesmothetarum est, ita ut ad extremum populus ipse decreverit. Videamus de utroque instituto; nec tamen omittamus animadvertere turbatam illam et impeditam legum corporis conditionem ne cogitari quidem posse iam Solonis aetate exstitisse, itaque non audiendum esse Aeschinem, qui tanti mali medicinam inventam tribuit τῷ νομοθέτῃ τῷ τὴν δημοκρατίαν καταστήσαντι, i. e. Soloni; quod ideo negligendum non est, quoniam hoc eius errore animadverso tanto maiori fiducia reiicere poterimus eius auctoritatem, ubi ambitiosius quam verius Solonem multarum legum auctorem praestat: igitur ne hoc quidem opus est monere, et Prytanes, et certe Proedros eorumque Epistatam alienissimos esse a Solonis temporibus.

Sed quamquam vix dubitari potest quin Aeschines, qui legem ipsam tum recitari iussit, eius sententiam universe diligenter reddiderit, tamen id, quod primo loco ponitur, διορθοῦν ἐν τῷ δήμῳ τοὺς νόμους, ab ipso inventum esse suspicor, improprie quodammodo, siquidem Thesmothetarum actiones nihil ad τὸν δῆμον pertinebant. Praeterea istius emendationis fieri non potest ut unum et continuum opus fuerit: itaque singulorum annorum (καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν) Thesmothetis hac lege mandatum fuit ut, quas discordias in legibus offendissent, has proponerent unicuique cognoscendas, quod ubi factum esset, tum ad discernendum populi contio convocaretur. Non temere illa νόμων διόρθωσις Thesmothetis commendata tum fuit, quoniam ipsi in singulorum generum causis, quibus cognoscendis praepositi erant, facile notare poterant si qui a litigantibus proferrentur ἐναντίοι νόμοι, aut plures de eodem negotio, itaque, ἄν τι τοιοῦτον εὑρίσκωσιν, ad omnium notitiam ferre. Conficiendum hinc est, per illud institutum identidem corrigi sane potuisse corpus legum, sed a Thesmothetis exspectari non potuisse ut ingens opus absolverent sic, ut nihil reliquum esset; ideoque falsa mihi videtur esse conclusio Aeschinis, qui propter illam le-

gem contendit, fieri non posse ut ulla in legibus discordia supersit. Quod autem in illa lege *νομοθετῶν* appellatio universo populo tribuitur, siquidem Prytanes dicuntur *ποιεῖν ἐκκλησίαν ἐπιγράψαντες νομοθέτας*, ostendit *νομοθετῶν* appellationem non fuisse certi cuiusdam concilii aut tribunalis, sortitione verbi causa designandi, sed, quod eos Prytanes convocarent, contionem populi fuisse, sed non nisi *τῶν ὀμωμοκότων*, exclusis ceteris, ita ut iure tamen leges dicerentur *διορθοῦσθαι ἐν τῷ δήμῳ*. Neque inauditum erat hoc ut Prytanes, omisso universo populo, eos in contionem vocarent, qui certae conditionis essent. Itaque in causa Mysteriorum (apud Andocidem § 12) *ἔδοξε τοῖς πρυτάνεσι μεταστήσασθαι τοὺς ἀμυήτους*. conf. § 28.

Huic meae interpretationi obstare video quae e Demosthene afferri possunt: v. c. ex *ἐπιχειροτονίᾳ νόμων*, in Timocratea § 21, *τοὺς δὲ νομοθέτας εἶναι ἐκ τῶν ὀμωμοκότων τὸν ἡλιαστικὸν ὅρκον*. tum, ex Epicratis psephismate, ibid. § 27, *τοὺς δὲ πρυτάνεις — καθίσαι νομοθέτας —, τοὺς δὲ νομοθέτας εἶναι ἕνα καὶ χιλίους ἐκ τῶν ὀμωμοκότων*. Haec tanti momenti, ut puto, visa sunt prudentissimo Westermanno, ut passim sumeret Nomothetarum certum tantum numerum constitui solitum fuisse, disceptaretque

utrum iurati isti e iudicibus praecedentis, an praesentis anni designarentur: vid. Disp. Cit. p. 21 sq Ubi autem de industria explorat verba illa psephismatis (modo indicati), τοὺς πρυτάνεις καθίσαι νομοθέτας, hanc suspicionem explicat (ut ista erroris coarguat), constituendorum Nomothetarum negotium proprium fuisse Thesmothetarum, quippe qui iudiciis moderandis praefecti essent, Nomothetae autem nihil aliud essent nisi iudices, eorumque consilium tribunali simile esset: vid. ibid. p. 31. fin. cf. p. 48. Hanc suspicionem Schoemanno item placuisse, suspicor ipse ex iis quae vir doctissimus scribit l. c. p. 257.

Equidem frustra quaesivi quibus vel levissimis indiciis ista suspicio niteretur. Meae sententiae primum satis disertum auctorem praesto Aeschinem; tum eam in sequentibus firmare conabor rationibus ἐκ τῶν εἰκότων petitis. Sed redeamus ad illam νόμων διόρθωσιν.

Quod a Demosthene l. c. traditur, postulare mihi videtur ut statuamus Thesmothetarum diligentia, quantumvis per multos fortasse annos in illo negotio posita, turbas illas tolli prorsus non potuisse, ideoque a populo suffragiis creari coeptos esse certos, quibus ea cura mandaretur. Quales tamen hi fuerint et qua potestate,

in tanta verborum brevitate nihil explicat Orator. Nihilominus hoc, ut puto, sumendum est, istud διαλέγειν τοὺς ἐναντίους (νόμους) nihil aliud esse nisi ex omnibus quae valerent legibus delectum facere earum quae σφίσιν αὐτοῖς contrariae essent, easque populo cognoscendas proscribere, ita ut discernendi potestas ipsi populo, id est Nomothetis, reservaretur. Sed operae pretium est animadvertere hoc affirmari a Demosthene, et hoc novum remedium iam ante suam aetatem excogitatum esse, et illos διαλέξοντας iam per longum tempus creari solitos esse, ut ne tunc quidem res ad finem perducta esset. Sed certe eius remedii potestatem, nempe tollendae legum discordiae, iisdem tributam fuisse coniicio, quos eodem loco appellat τοὺς πρότερον νομοθέτας, nempe τοὺς ὀμωμοκότας, quorum erat iudicium quoque novarum legum quae ferrentur; id quod inde quoque conficio, quod, ubi Demosthenes Leptin. § 93. commemorat τοὺς ὀμωμοκότας, apud quos novae leges essent ferendae, addit παρ' οἷσπερ καὶ τἄλλα κυροῦται, quae *reliqua* necessario referenda ad illam νόμων διόρθωσιν.

Utramque medicinae rationem ortam esse suspicor ex ignorantia legum, quarum multitudo post Solonem et Draconem creverat. Hinc

non tantum hoc in novarum legum iubendarum disciplina constituebatur, ut nulla sanciretur nisi simul abrogata ea cui illa opponeretur, sed ἀναγραφεῖς quoque creati sunt, post Quadringentorum imperium, quibus mandabatur intra quatuor menses ἀναγράψαι τοὺς νόμους τοὺς Σόλωνος (Lysias Nicom. § 2.). De quo munere, praeter illa quae supra p. 249 sq. monui, hoc existimandum est, Solonearum legum nomine non tantum ipsas, quae a Solone profectae essent, leges intelligendas esse, sed reliquas quoque quae post latae essent ἐν δημοκρατουμένῃ πόλει· quam interpretationem hoc argumento defendimus, primum quod Nicomachus apud Lysiam (§ 3.) dicitur, quum illo ministerio fungeretur τοῖς ἀντιδίκοις contrarias leges subministrasse; tum, quod ei definitum erat ἐξ ὧν ἔδει ἀναγράφειν, (§ 4.), quo indicatur non solum illas κύρβεις Solonis describendas fuisse, sed aliarum quoque legum tabularium.

Quid spectaverint Athenienses quum illam omnium legum ἀναγραφὴν, brevi tempore absolvendam, Nicomacho aliisque imperarent, nusquam diserte explicatur; sed iure tamen statuendum videtur, in tanta vel legum vetustate, vel civium imperitia, hoc eos consequi voluis-

se, ut quid iuris esset in quaque re, sive publica sive privata, vulgo cognitum esset, tum vero etiam ut hoc praesidio instructi occurrerent incertae iuris omnis conditioni, quam e multiplicibus contrariis legibus oriri necesse erat. Itaque non temere mihi videor explicuisse, modo ante (p. 250 sq.), quid interfuerit inter Nicomachi ἀναγραφὴν, eamque de qua apud Andocidem sermo est: addamus, Thesmothetarum quoque ἀναγραφὴν, apud Aeschinem (ἀναγεγραφότας ἐν σανίσιν ἐκτιθέναι πρόσθεν τῶν ἐπωνύμων), formâ fortasse diversam fuisse ab illa Nicomachi, sed non alio consilio fuisse imperatam, ita ut hinc demum deliberandi et pronuntiandi opportunitas in populi contione peteretur.

Ab illis omnibus genere ipso diversa erat celebrata illa legum ἐπιχειροτονία, quae certam continebat disciplinam novarum tantum legum ferendarum, de qua nunc videamus. Sed in istarum rerum iudicio permultum interest ut teneamus, in illa liberrima democratia, quae toties per nonnullorum vel cupiditatem vel libidinem vicissitudinibus agitaretur, saepe utilissima instituta primum negligi, tum obsolescere debuisse, ita ut postremo nihil constans neque firmum maneret eorum, quibus ipsa causa rei publicae contineretur, quum praesertim multi-

tudo omnia sibi licere contenderet, querereturque δεινὸν εἶναι εἰ μή τις ἐάσει τὸν δῆμον πράττειν ὃ ἂν βούληται, ut est apud Xenophontem Hellen. I. 7. 12. Quae autem de illo instituto nobis tradita sunt, necessario, ut puto, nos eo adducent ut statuamus universi populi contioni liberam relictam fuisse sententiae enuntiandae opportunitatem, sed ipsam legum iubendarum aut antiquandarum potestatem reservatam fuisse non tribunali cuidam, sed ei contioni quae esset τῶν ὀμωμοκότων, quam Prytanes convocassent, cuique Proëdri praeessent.

Neque hinc alienum est ut suspicionem prodam, illud institutum, ex quo in prima legitima primae Prytaniae contione populus interrogabatur an οἱ κείμενοι νόμοι viderentur ἀρκεῖν, (quod supra demonstrare conatus sum post Quadringentos sublatos excogitatum esse), simul exstitisse cum gemino alio, nempe ἐπιχειροτονίας τῶν ἀρχῶν, in qua, si quis magistratus videretur μὴ καλῶς ἄρχειν, poterat ἀποχειροτονεῖσθαι. Utrumque psephisma pertinebat sane εἰς πολιτείαν, ut loquitur Thucydides: tum utrumque eiusmodi erat, ut praeiudicium tantum multitudini concederetur, iudicium ipsum iuratis iudicibus reservaretur; nam ut ipsum νομοθετεῖν, i. e. leges iubere, erat τῶν ὀμωμο-

κότων, ita τὸν ἀποχειροτονηθέντα necesse erat κρίνεσθαι ἐν τῷ δικαστηρίῳ.

Sed antequam reliqua, quae de illo gravissimo negotio constare videantur, exploremus, operae pretium est confirmare id, quod (Vol. IV. p. 36 sq.) contra Schoemannum contenderam, ad illam sollemnem legum recognitionem novarumque legum lationem nulla omnino Senatus auctoritate opus fuisse. Multum abest ut Schoemannus meas rationes probaverit; contra, in *Animadversionibus* suis (Opusc. Acad. I. p. 255.) urget suum illud, nihil in contione ἀπροβούλευτον agi potuisse; tum, nihil circumscribi novae legis ferendae libertatem, quae τῷ βουλομένῳ concessa erat, si ante requireretur Senatus auctoritas. Et hoc quidem per se, etiamsi nullae aliae rationes adversarentur, incredibile. Sed non reputavit vir doctissimus, quum apud Demosthenem diligenter explicentur omnes conditiones sanctionesque quibus adstricta esset illa legum ferendarum aut mutandarum facultas, nusquam tamen ullam deprehendi Senatus mentionem, penes quem esset illa scilicet, quam vult, legum δοκιμασία, ne illo quidem loco (Timocrat. p. 711. § 36 sq.), ubi enumerat Orator quae essent novarum legum ferendarum φυλακαί. Tamen tardus esse

ei videor, quod rem omnium planissimam non perspexerim. Quid autem est hoc? »Senatus, »inquit, novam legem δοκιμάζειν dicitur, quum »decernit, utrum agi de ea cum populo liceat »nec ne." Non fert hanc interpretationem neque ipsius vocabuli constans significatio, neque rei natura. Etenim δοκιμάζειν certum obiectum requirit, quod probandum et agnoscendum sit, sicut ex opposito, ἀποδοκιμάζειν, perspicuum est. Valebat, contra, et usurpabatur Senatus προβούλευμα in psephismatis, in quibus contionis διαχειροτονία rem absolvebat, ut in illo Apollodori psephismate, in Orat. Contr. Neaeram p. 1346. Rem ipsam quod attinet, ipsa ἐπιχειροτονία τῶν νόμων in contione suscipienda, legibus quippe definita et certo tempori adstricta, non indigebat Senatus προβουλεύματι, et Prytanes, quorum erat προγράφειν illam statam ἐκκλησίαν, nihil nisi officio fungebantur. Tum, quod erat in illa contione agendum, respuebat quamvis δοκιμασίαν, quoniam istic nulla postulabatur διαχειροτονία praeter hanc, πότερον εἰσοιστέος ἐστι νόμος καινὸς ἢ δοκοῦσιν ἀρκεῖν οἱ κείμενοι. Quid erat in hac quaestione, quum nulla dum novae legis mentio facta esset, quod Senatus ante vel δοκιμάζειν, vel ἀποδοκιμάζειν potuisset? Tamen leges dicuntur

ipsae δοκιμάζεσθαι, ut figurate loquitur Demosthenes (Leptin. p. 484. § 90), sed intelligit totum illud institutum νομοθεσίας, cuius eventus esset penes Nomothetas: neque haec, qua populus fungebatur, legum δοκιμασία, tamquam diversi generis, illi Senatus δοκιμασίᾳ opponenda erat (quod facit Schoemannus,) sed ipsa una et vera erat δοκιμασία. Meas rationes concedo Schoemanno ut contemnat; sed tamen considerare eum oportebat quae Westermannus prudentissime disputavit (p. 29—32,) quum sentiebat non alias fuisse partes Senatus in hoc negotio legum recognoscendarum, nisi quod Prytanes indicerent contiones in quibus ea de re agendum esset, sicuti certi argumenti contionem indicari lege praescriptum erat in Mid. p. 517, § 9., in qua προβολαί tradendae essent. Nam quod Timocrati obiicitur (p. 715. § 47), eum legem suam tulisse οὐκ εἰς τὴν βουλήν, οὐκ εἰς τὸν δῆμον εἰπόντα περὶ τούτων οὐδέν, pertinet hoc ad eiusmodi argumenti legem, cuius ferendae ante ἄδεια petenda esset a Senatu non tantum, sed a populo quoque. Quod autem in illo Epicratis psephismate (Timocrat. p. 708. § 27.) prostat, συννομοθετεῖν δὲ τὴν βουλήν, nisi inepte confictum esset, ut bene demonstravit Westermannus, aliisque praeterea argumentis infra

evincam, efficere poterat Senatus illam δοκιμασίας potestatem excludendam esse, qua scilicet eum uti oportuisset ante legum ἐπιχειροτονίαν· ne dicam ne cogitari quidem posse eiusmodi δοκιμασίαν, nondum cognita lege quam quis ferre in animo haberet, postea demum ad omnium notitiam proponendam. Postremo, ne quis in hac quaestione abutatur verbis quae prostant in Tisameni psephismate apud Andocidem (Myster. § 84), τοὺς δὲ παραδιδομένους νόμους δοκιμασάτω πρότερον ἡ βουλὴ κ. τ. λ., nisi subdititium esset illud documentum, tamen apparet istic agi de legibus traditis (παραδιδομ.), non de novis ferendis.

Repudiaveram in hac quaestione Pollucis (VIII. 101.) auctoritatem, ubi dicitur, τοὺς νέους νόμους ἐδοκίμαζεν ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος καὶ τὰ δικαςήρια, tum propter incredibilem illam triplicem δοκιμασίαν, tum quod eum τοὺς καινοὺς, non τοὺς νέους dicere oportuerat. Δοκιμασίας illas miro modo defendit Schoemannus et distinguit, ita ut v. c. excogitet tribunalibus tribui δοκιμασίαν, in quibus de παρανόμων γραφῇ pronuntietur. Ne grammatica quidem ratio hoc ferret, nisi fortasse si scripsisset ἢ ὁ δῆμος ἢ τὰ δικαςήρια. Tum, ut illud νέους defendat, concedit Pollucem »non lectissimis verbis uti",

sed hunc locum videri ex Aristotele sumtum esse, quem ipsum non lectissimis verbis uti. Mirum si fugisset Aristotelem νέους νόμους esse tempore recentiores: minus mirandum, Schoemanno praesto non fuisse ipsum Aristotelem appellare καινοὺς νόμους (Polit. II. 8. fin. Conf. Xenophon Rep. Laced. X. 8.)

Extremum suae sententiae praesidium repperisse se putat Schoemannus in Xenophontis, ut fertur, libello De Republ. Atheniensium (III. 2.) cuius haec verba sunt, τὴν δὲ βουλὴν βουλεύεσθαι πολλὰ μὲν περὶ τοῦ πολέμου, πολλὰ δὲ περὶ πόρου χρημάτων, πολλὰ δὲ περὶ νόμων θέσεως κ. τ. λ. Quod neglexit Schoemannus, illud ipsum est, quod supra (pag. 108.) in Ciceronis Partit. Orat. interpretatus sum, non ex omnibus argumenta sumere, sed scrutari et quaerere ex omnibus, et adhibere iudicium. Primum igitur ipse libellus iste negligentissime confectis excerptis constat, plurimisque locis inquinatus vitiis est. Sed caput est, in hoc loco manifesto turbatum esse, quoniam ex omnibus negotiis quae enumerantur, duo postrema tantum, et ne hoc quidem vere, Senatui vindicari poterant, φόρον δέξασθαι καὶ νεωρίων ἐπιμεληθῆναι, siquidem illo fungebantur Apodectae, hoc navalium curatores, interposi-

tum autem τὴν δὲ βουλὴν hanc postulat interpretationem, superiora ad populum pertinuisse, haec autem quae subiiciuntur unum Senatum spectare; quod quam falsum sit, non opus est demonstrare.

Prudenti consilio Westermannus praestantis Commentationis initio enumerat deinceps omnia quibus, ex ipsius Oratoris in Leptinea et in Timocratea verbis, conficiatur argumentum et praecipua capita eius legis, quae legum ferendarum modum et normam praescripserat: tum subiicit diligentem explorationem interpositae in Timocratea illius ἐπιχειροτονίας νόμων, (in qua ipse iam complura quae incredibilia viderentur notaveram), ad eum finem, ut perspicue demonstret totum illud documentum fictum ab imperito esse. Westermannum igitur praeclarum ducem secuti nostra quoque proponemus.

In Timocratea (p. 705. § 17) Demosthenes dicit, tum se de Timocratis lege, quam in iudicium vocavisset, dicturum esse, quum prius explicuerit περὶ τῶν κειμένων νόμων καθ' οὓς εἰσιν αἱ τοιχίδε γραφαί, i. e. de ea lege, quae regebat omnem τοῦ νομοθετεῖν modum et potestatem, in qua accurate definita erant πάνθ' ὅσα δεῖ ποιεῖν περὶ τῶν μελλόντων τεθήσεσθαι νόμων. Primum igitur omnium (fortasse in principio

legis), inquit, χρόνος ἐστὶ γεγραμμένος ἐν ᾧ προσήκει νομοθετεῖν. Necessario cogitandum de novis legibus, quibus οἱ κείμενοι νόμοι corrigendae viderentur. Istud χρόνος ἐν ᾧ, indicat primam primae Prytaniae contionem, et aliis fortasse negotiis, et huic quaestioni dirimendae destinatam fuisse, utrum quid in legibus mutandum esset: Timocrat. p. 707. § 25, πρῶτον μὲν ἐφ' ὑμῖν ἐποίησαν (οἱ νόμοι) διαχειροτονίαν, πότερον εἰσοιστέος ἐςὶ νόμος καινὸς, ἢ δοκοῦσιν ἀρκεῖν οἱ κείμενοι. Sed ipsum νομοθετεῖν absolute accipiendum de iubendarum legum potestate, quae erat τῶν νομοθετῶν, non de cuiusvis latoris actione quae indicabatur verbo εἰσφέρειν aut τιθέναι νόμον. Itaque praescribebatur tempus ἐν ᾧ, id est, per quot temporis intervalla hoc fieri oporteret. Igitur in illa prima contione, quum tamen constare necesse esset iis, qui suffragium laturi essent, quid novum ferretur, hoc sumendum est, eum, qui novam legem commendare in animo haberet, hoc consilium suum tum iam denuntiasse et explicuisse: si nulla nova lex commendaretur, decrevisse contionem ὅτι ἀρκοῦσιν οἱ κείμενοι, igitur illo quidem anno nullam aliam iuberi potuisse. Novarum autem legum auctores non temere neque repente in contione prodiisse credibile est, sed ante sibi com-

parato multorum studio et suffragatione, ita ut (quemadmodum in προβολαῖς fieri solebat) facile per illam διαχειροτονίαν obtinerent licere sibi καινὸν νόμον εἰσφέρειν, id quod iis tanto minori incommodo concedi poterat, quod ipsum novae legis iudicium reservabatur Nomothetis. In hoc igitur dissentiendum mihi videtur a Westermanno, qui (p. 4) putat, illam διαχειροτονίαν fieri potuisse ante quam quis novam legem commendasset. Ex verbis autem Timocrateae (ibid. § 25, μετὰ ταῦτα δ' ἂν χειροτονήσητε εἰσφέρειν, οὐκ εὐθὺς τιθέναι προσέταξαν) conficitur, quum pronuntiatum esset ὅτι εἰσοιστέος καινὸς νόμος, latorem ipsum debuisse eam εἰσφέρειν, sed non statim ut ea lex ferretur concessum erat et perferretur, (οὐκ εὐθὺς τιθέναι προσέταξαν), potiusque exspectabatur tertia contio, et ne in hac quidem τιθέναι δεδώκασιν, nec nisi hoc considerabatur, καθ' ὅ τι τοὺς νομοθέτας constituere videretur.

Sed redeamus ad primam illam contionem. Dixeram (Vol. IV. p. 34 sq.) sine disceptatione illam διαχειροτονίαν institui solitam fuisse videri, nec muto sententiam propter Schoemannum dissentientem (l. c. p. 253). Quae enim poterat esse disceptatio de re neque ante destinata, neque diligenter cognita? quum praesertim hoc

praescriptum esset, ut nova, quam quis ferre vellet, lex post illam demum διαχειροτονίαν ad Eponymos proponeretur, eo consilio ut ab omnibus per otium cognosci et considerari posset, utque, qui vellet, eam posset oppugnare (ἀντειπεῖν). (Timocrat. § 25. Leptin. § 94). Igitur, quod diserte traditur, ne τιθέναι quidem novam legem licebat neque in prima, neque in tertia contione, sed non nisi, post illa, apud Nomothetas (παρὰ τοῖς ὀμωμοκόσι, Leptin. § 93). Quae igitur disceptatio, quae scilicet cum decernendi opportunitate coniuncta esset, exspectari poterat de ea lege quam nemo dum τιθέναι potuerat? Et tamen, propterea quod novae legis formula non tantum ad Eponymos proscribebatur, et γραμματεῖ quoque tradebatur qui eam in contionibus recitaret, aequum videtur ut sumamus contra dicendi (ἀντειπεῖν) opportunitatem τῷ βουλομένῳ fuisse in secunda contione, quamquam ea ipsa nusquam diserte commemoratur: et mihi ipsa loquendi forma, ex qua dicitur ἡ τρίτη ἐκκλησία, necessario hoc afferre videtur, ut in omnibus tribus contionibus de illo argumento ageretur. Apparet totum illud institutum hoc spectasse, ut in re tam gravi nihil temere decerneretur, sed ea integra diiudicanda reservaretur Nomothetis, postquam cognoscendi et

per otium considerandi opportunitas omnibus facta esset: itaque minime probandum esse id, quod denuo Schoemannus affirmat in Disputatione De Causa Leptinea (Opusc. I. p. 238), in prima illa contione populum suffragiis decernere potuisse »omnem legum lationem omitti de»bere."

Praeter reliqua omnia propter quae iure a Westermanno castigatur is, qui finxit illam νόμων ἐπιχειροτονίαν, Timocrateae insertam, animadvertendum hoc, quod istic (§ 21) dicuntur leges in prima contione ἀποχειροτονεῖσθαι, et Prytanes ποιεῖν περὶ τῶν ἀποχειροτονηθέντων τὴν τελευταίαν τῶν τριῶν ἐκκλησιῶν. Nempe proprium est illud ἀποχειροτονεῖν eius contionis, in qua institueretur ἀρχῶν ἐπιχειροτονία, ita ut τῷ ἀποχειροτονηθέντι statim auferretur imperium, aliusque ei sufficeretur: contra, neque nova lex, quam quis εἰσφέρειν vellet, in illa prima contione ferebatur, itaque ἀποχειροτονεῖσθαι non poterat, et vetus lex, cui nova fortasse opponeretur, ideo non poterat ἀποχειροτονεῖσθαι, quod eam tolli non licebat nisi simul nova ei substitueretur.

Et, quoniam res plane intelligi non possunt, nisi de proprio usu verborum, quibus ea enuntietur, constat, hoc quoque in illo ficto mo-

numento notemus (§ 20), quod initio dicitur, ἐπιχειροτονίαν ποιεῖν τῶν νόμων, in quo subiectum omissum est, et postulabatur τοὺς προέδρους ἐπιχειροτονίαν ποιεῖν, quemadmodum rectius ipse Orator (§ 25) de legibus ipsis dicit, ἐφ' ὑμῖν ἐποίησαν διαχειροτονίαν. E simili errore fictum esse documentum arguitur id, quod apud Demosthenem De Corona (§ 105) insertum est. Agitur de nova lege triërarchica Demosthenis, quam (sic dicitur) ἐπεχειροτόνησεν ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος. Non intercedo quin Senatus in eo negotio commemoretur, quoniam in ipsa formula certe de more hoc fuerit, ἔδοξε τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ· sed dicendum erat ἐχειροτόνησεν, quoniam ea res in populi contione acta erat, neglecto illo instituto τῆς ἐπιχειροτονίας, quae pertinebat ad recognitionem τῶν νόμων τῶν κειμένων. Sed ne haec quidem opportunitas praetermittenda est erroris indicandi in quem se induerat Schoemannus, qui Comitt. Athen. p. 278. not. 63, propter illud ἐπεχειροτόνησεν, legem illam Demosthenis triërarchicam putat Nomothetarum iudicio destinatam fuisse, quae sententia merito repudiatur a Boehneckio Forsch. I. p. 478. not. 4. Sed totum illud documentum ideo falsum est, quoniam non respondet ei, quod modo Orator recitaturum se dixerat, πρῶτον μὲν,

τὸ ψήφισμα καθ' ὃ εἰσῆλθον τὴν γραφήν. Rursus erratum est in alio eiusdem verbi composito apud Aeschinem (Timarch. § 23). Neque enim ipsum προχειροτονεῖν defendi potest, ut neque id, quod Kayserus (Annal. Heidelberg. a. 1853. n. 52) ei substitui commendabat, προχειροτονίαν δοῦναι, neque si posset, in illa sententiae forma ferendum est qua utitur Orator ad rem explicandam: neque abiicio meam suspicionem, quam prodidi Vol. IV. p. 281, interpolatione liberandum esse illum locum, omissis quatuor verbis, προχειροτονεῖν κελεύει τοὺς προέδρους, ita ut sana quoque syntaxis servetur. Quam rationem habeat istud προχειροτονεῖν in loco Demosthenis Timocrat. § 11 (quem minus recte interpretabatur Schoemannus,) explicui ibid. p. 282 sq.: nec minus apertum est quam recte verbum illud usurpetur a Platone Legg. VII. p. 765 B., ubi τὸ χειροτονηθῆναι praecedit τὸ λαχεῖν.

Porro, in iis quae novae legis auctorem servare oportebat, statim post illam primae contionis διαχειροτονίαν, primum occurrit ἐκθεῖναι πρόσθε τῶν ἐπωνύμων. Sed haec iusta loquendi ratio, servata a Demosthene Leptin. § 94. Timocrat. § 18, tum ab Aeschine Ctesiph. § 39, corrumpitur in Tisameni pse-

phismate, apud Andocidem Myster. § 83, ubi est πρὸς τοὺς ἐπωνύμους. In 'Επιχειροτονίᾳ νόμων satis inepte bis ponitur idem, addito etiam δσημέραι ἕως ἂν ἐκκλησία γένηται. Contra, ibidem unum omittitur, diserte indicatum ab Oratore in Leptinca § 94, τῷ γραμματεῖ παραδοῦναι, τοῦτον δ' ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἀναγινώσκειν, addita ratione, ἵν' ἕκαστος ὑμῶν ἀκούσας πολλάκις καὶ κατὰ σχολὴν σκεψάμενος, ἂν ᾖ καὶ δίκαια καὶ συμφέροντα, ταῦτα νομοθετῇ. In his postremis interpretandis, quae arctissime coniuncta sunt cum omni illa praeceptione et disciplina τῆς νομοθεσίας, neque Westermannum sequor (p. 19 sqq,), neque Schoemannum (Animadv. p. 254), qui propter plurale, ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, et propter adv. πολλάκις, hoc sumserunt, plures fuisse contiones ante τὴν τρίτην, in quibus omnibus illa per scribam recitatio fieri solita fuisset. Id, quod ferendum erat in contione, de quo suffragia erant ferenda, recitandum dari scribae, convenit cum iis quae aliunde novimus, ut ex Aeschinis Timarchea § 2: sed, quod ratio suadet, tenendum est, eo consilio id fieri solitum fuisse ut, quod scriba recitavisset, per Proëdros et disceptationi et suffragiis contionis permitteretur, unde apud Aeschinem F. L. § 68 dicitur δοῦναι τῷ γραμματεῖ ἐπιψηφίσασθαι τοῖς

προέδροις. Non cadere hoc in illam novae latae legis recitationem quae fieret in contionibus ante Nomothetarum consessum, inde intelligitur, quod in illis contionibus nihil dum multitudinis suffragiis proponebatur. Quid porro hoc est, quod a scriba eadem in pluribus contionibus recitanda dicuntur sine ullo eventu, tantum ut ea saepius audirentur? Quod probari possit hoc est, ut recitattio illa de more fieret in tertia contione, quippe in qua considerandum erat quid Nomothetis dirimendum committi oporteret, id est, quarum legum iudicium iis esset tribuendum (*σκέψασθαι καθ᾽ ὅ τι τοὺς νομοθέτας καθιεῖτε*, Timocrat. § 25). Quae si vix negari possunt, absonum videri necesse est tum illud *ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἀναγινώσκειν*, tum *ἀκούσας πολλάκις*. Accedit, quod aliis locis, ubi opportunitas cognoscendae et considerandae novae legis commemoratur, nihil de audiendo dicitur, sed de exponenda lege apud Eponymos: conf. Timocrat. § 18. 25 et 36: contra semel iterumque hoc dicitur, fuisse illam opportunitatem legendi, quum apud Eponymos exposita lex esset, sicut ibid. § 26, quod Timocrati obiicitur, *οὔτ᾽ ἐξέθηκε, οὔτ᾽ ἔδωκεν εἴ τις ἐβούλετο ἀναγνοὺς ἀντειπεῖν·* et § 36 *οἱ δ᾽ οὐδὲν προσέχοντες ἀναγνοῖεν ἄν*. His de causis primum corrigendum

censeo ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, tum alterum illud ita supplendum, ἵν' ἕκαστος ὑμῶν ἀκούσας καὶ ἀναγνοὺς πολλάκις καὶ κ. τ. λ· quum praesertim minus proprie is πολλάκις ἀκοῦσαι dicatur, qui summum bis in contione audiverit.

Sed priusquam reliqua, quae supersunt exploranda in illa 'Επιχειροτονίᾳ νόμων persequamur, operae pretium est vindicare id, quod Vol. IV. p. 52 sqq. demonstrare conatus eram, quodque immerito post repudiavi, Mnemos. V. p. 210, nempe Leptineam causam actam esse non apud Nomothetas, sed in tribunali heliastico, actione delata ad Thesmothetas. Hoc igitur tam plane evicit, contra Westermannum, Schoemannus in dissertatione *De causa Leptinea* (quam nunc demum cognovi, repetitam in eius Opusculis Academicis p. 137 sqq.) ut altera sententia profligata sit. Verbi causa, aliquanto melius locus ille Demosthenis (Leptin. § 94) intelligendus est, quam hucusque fieri solet. Quod enim Orator Leptini exprobrat, eum *nihil* fecisse eorum quae in veteri illo instituto νομοθεσίας postulabantur ab eo qui novam legem ferret, simul affirmans se *omnia* fecisse (ἡμεῖς δὲ πάντα), hoc postremum, quo argumento utebantur ii, qui causam illam apud Nomothetas actam demonstrabant, non adeo, ut Schoe-

manno videtur, excusandum est ex oratoria quadam hyperbola, sed, ut ex sequenti argumentatione manifesto consequitur, hoc indicat, a Demosthene omne id praestitum esse in hoc munere instituendae γραφῆς παρανόμων, cuius causa ipsum illud vetus institutum νομοθεσίας usurparetur, nempe ut lex ipsa, quam oppugnaret, argueretur οὐκ ἐπιτήδειος esse, et ei substitueretur alia quae melior esset. Etenim et modo hanc sententiam esse τοῦ παλαιοῦ νόμου explicuerat, (γράφεσθαι μὲν ἄν τίς τινα τῶν ὑπαρχόντων νόμων μὴ καλῶς ἔχειν ἡγῆται, παρεισφέρειν δ'αὐτὸν ἄλλον ὃν ἂν τιθῇ λύων ἐκεῖνον, ὑμᾶς δ' ἀκούσαντας ἑλέσθαι τὸν κρείττω. Leptin. § 89), et statim subiicit haec (§ 96), χρῆν τοίνυν Λεπτίνην μὴ πρότερον τιθέναι τὸν ἑαυτοῦ νόμον πρὶν τοῦτον ἔλυσε γραψάμενος. Itaque de industria explicat huic ipsi a se nunc ita satisfieri, ut non tantum Leptinis legem oppugnet (γράφεσθαι), sed aliam eamque meliorem ei substituat (ἀντεισφέρειν), quamquam non affirmare audeat Leptinis lege damnata eo ipso suam (παρεισενεχθέντα) ratam fore (τεθῆσεσθαι), sicut vetus lex iubebat, et nunc tantum spondeat se legem laturum esse, quae in sua actione inserta esset (παρεγγέγραπται): praetereaque totius rei iudicium, instituta apud Thesmothetas γραφῇ παρανόμων,

commissum esse heliaeae, i. e. τοῖς ὀμωμοκόσι, quum Leptines suam legem in contione tulisset. Eodem pertinet id, quod Orator dicit alio loco (§ 137), se vel ipsum suam legem, quam opponeret Leptineae, laturum esse, vel alios posse ferre, ὅταν πρῶτον γένωνται νομοθέται· quae postrema verba tam ad ipsius sponsionem quam ad illos alios referenda esse, miror negari a Westermanno (l. c. p. 53 fin.): mirum enim si Orator id, quod in Leptine reprehendisset, ipsum se facturum esse prae se tulisset, ut legem laturus esset praeter Nomothetas. Igitur ipsum παρεισφέρειν vindicat haec agi in heliastico tribunali, quum apud Nomothetas proprium esset νόμον τιθέναι.

Quod de Leptinea causa demonstravit Schoemannus, idem dicendum est de Timocratea, in qua tamen actione non suscepit actor id, quod in Leptinea, ut ei legi quam λῦσαι conetur substituat aut commendet aliam meliorem. Quodque non tantum tollere Timocratis legem operam dat actor ὡς οὐκ ἐπιτήδειον, et ut ἐναντίον τοῖς οὖσι νόμοις, et latorem ostendit παρὰ τοὺς νόμους νομοθετοῦντα, et κατὰ ψήφισμα, sed eius etiam poenam aestimari postulat (τοῦ προσήκοντος τυχεῖν τιμήματος, § 214. et κολάσαι, § 218.), satis arguit haec non

acta esse apud Nomothetas, a quorum iudicio castigatio eius cuius lex reiiciebatur alienissima erat, ut neque omnino γραφὰς παρανόμων ad Nomothetas pertinuisse mox explicabo. Sed quum illud κατὰ ψήφισμα νομοθετεῖν exprobretur Timocrati (§ 30), non quidem opus est istius psephismatis (§ 27.) fictam originem demonstrare post Westermannum (l. c. p. 25 sqq.), sed unum attingere libet quod eius animadversionem fugit, mirum illud postremo adiectum, συννομοθετεῖν τὴν βουλήν. Praeterquam enim quod ita extra ordinem Senatus ad eas partes vocatur quae cum potestate et ingenio eius consilii conciliari nullo modo poterant, verbum ipsum συννομοθετεῖν recte apud Platonem Legg. VIII. p. 833. fin. usurpatur de societate legis inveniendae et condendae, sed tribui non poterat iis, quorum (ut Nomothetarum) nihil erat nisi κρῖναι, et ex duabus legibus ἑλέσθαι τὸν κρείττω], ita ut tam hoc absonum sit, quam si quis diceret συγχειροτονεῖν, aut συμψηφίζεσθαι,

Redeamus ad ipsos Nomothetas. Pertinet autem ad diligentiorem istarum rerum intelligentiam ut, revocata ea sententia quam professus eram in Mnemosyne (V. p. 211. init.), interpretemur notissimos locos Leptineae § 91 sq.

et Timocrateae § 57 et 142. Leptinem legem suam in contione pertulisse, non apud Nomothetas, bene tenet Schoemannus *de Causa Leptinea* p. 238. Hoc enim ipsum est quod Leptinis legi obiicitur, et isti licentiae quae tum obtinebat, νόμους μὴ δοκιμασθέντας κυρίους εἶναι (Leptin. § 90 fin.), quum ipsum γνῶναι καὶ δοκιμάσαι τὸ βέλτιστον proprium *iuratorum* sit, ut manifesto indicatur in Timocratea (§ 37). Sed eo ipso loco, quum ad quaestionem quae sit vera et firma maxime Φυλακὴ τῶν νόμων respondet Orator ὑμεῖς οἱ πολλοί, intelligit sane τοὺς ὀμωμοκότας, sed non certum eorum numerum, qui sorte designati in tribunali ἐδίκαζον, verum omnem iuratorum multitudinem: idemque intelligendum in Leptinea § 93, ubi dicitur veterem νομοθεσίας disciplinam hoc praescribere, ut leges iuberentur παρ' ὑμῖν ἐν τοῖς ὀμωμοκόσι, παρ' οἷσπερ καὶ τἄλλα κυροῦται, quibus verbis non heliaea, sed totus ordo iuratorum indicatur, qui sic opponuntur τοῖς ἀνωμότοις, i. e. ecclesiastis. Spretis igitur illis rationibus quibus fidem habens Westermannus (p. 23. 29. 32 et 33.) demonstrabat Nomothetarum certum numerum fuisse, hoc contendimus, eorum non tribunal, sed contionem fuisse, non quidem πάντων τῶν

Ἀθηναίων, sed τῶν ὀμωμοκότων. Atque hinc consequitur, contra quam Westermannus disputabat (p. 51), rectissime Prytanes primum appellari qui Nomothetarum contionem indicerent (neque, ut ante putabam Vol. IV. p. 58. Thesmothetarum munere opus fuisse, qui eorum sortitioni praeessent); tum huic iuratorum contioni Proëdros praefuisse: et hac una ratione probandum est id, quod apud Aeschinem Ctesiph. § 39. perspicue traditur, τοὺς πρυτάνεις ποιεῖν ἐκκλησίαν ἐπιγράψαντας νομοθέτας, τὸν δ' ἐπιστάτην τῶν προέδρων διαχειροτονίαν διδόναι τῷ δήμῳ, in quibus tam ἐκκλησίας quam δήμου appellatio Nomothetas complectitur.

Interponamus hoc quoque ex unius verbi interpretatione, sed tamen cum vera rerum ipsarum interpretatione coniunctum, de loco Leptineae § 92, ubi est λαβέ μοι τὸν νόμον καθ' ὃν ἦσαν οἱ πρότερον νομοθέται. Creditum est his postremis verbis indicari Nomothetarum illam contionem; neque animadversum est non potuisse appellari eos τοὺς πρότερον, nisi cogitaretur de sublato dudum illo instituto, deque nova eius negotii disciplina quae illud excepisset: quorum quum nihil probari possit, necessario οἱ πρότερον νομοθέται tam absurde, illo sensu, dicerentur, quam ὁ πρότερον δῆμος, aut

ἡ πρότερον ἐκκλησία. Quandoquidem autem manifestum est Oratorem isto loco eam legem recitari velle, quae singulis praescriberet quam rationem servare oporteret in legibus ferendis (τοὺς νόμους ὡς κελεύει, τιθέναι, § 93.), intelligitur τοὺς πρότερον νομοθέτας eos esse, qui olim eius legis praescripta servare soliti fuissent, et opponi iis, qui nunc legem illam contemnerent: et sicut de ipso legis novae auctore dicitur νόμον τιθέναι, de eodem dici νομοθετεῖν constat, et νομοθέτης, contra de contione iuratorum, quae legem iuberet, dici θέσθαι νόμον. Addo, Nomothetarum appellationi, ubi illa contio indicanda sit, perperam praeponi articulum, et, ut ἐκκλησίαν ποιεῖν, sic unice rectum esse νομοθέτας καθίζειν, itaque unius alteriusque loci exemplo, in aliis articulum tollendum esse.

Aliud praeterea corrigendum est in iis, quae disputavi de γραφῇ παρανόμων, supra Vol. IV. p. 44 sqq. et in Mnemosyne V. p. 216 sq. Omitto nunc Schoemanni, et Westermanni, et Grotii (Histor. Graec. Vol. V. p. 376) opinionem, aut si quis alius hoc tenuerit, παρανόμων γραφὴν institui potuisse adversus eam quoque legem, quam Nomothetae ratam esse iussissent, id quod *constare* adeo *inter viros*

doctos affirmat Schoemannus (Opusc. Acad. I. p. 257). Sicut alia reprehendenda sunt in illa lege, cuius formula inserta est Timocrateae § 33, quam merito castigavit Westermannus, l. c. p. 48 sqq., ita falso in fine hoc adiicitur, adversus eum, qui apud Nomothetas veterem legem ita sustulisset ut ferret aliam quae vel *τῶν κειμένων τῳ* contraria, aut ipsa *οὐκ ἐπιτήδειος* esset, dari actiones (i. e. *γραφὰς παρανόμων*), secundum eam legem, *ὃς κεῖται ἐάν τις μὴ ἐπιτήδειον θῇ νόμον.* Quam sit hoc falsum et ineptum inde intelligitur, quod supremum iudicium, *πότερον ἐπιτήδειος ὁ νόμος* esset quae apud Nomothetas ferretur, penes ipsos erat Nomothetas, qui optare et pronuntiare poterant, et *ἑλέσθαι τὸν κρείττω.* Omnino vana et inutilis fuisset Nomothetarum potestas, et totius illius instituti auctoritas, si auctor eius legis quam isti accepissent, in aliud iudicium vocari potuisset, eaque lex denuo tolli: et ridiculum hoc exstitisset, ut, quod semel *οἱ ὀμωμοκότες* iussissent (quorum iudicio omnia in civitate *κυροῦται*, Lept. § 93), iterum diiudicandum traderetur eorundem iuratorum certo numero, *ἐν δικαστηρίῳ*, eodem modo notandum atque id, quod in Timocratea § 78. dicitur ferendum non esse, si quis conetur *τὰς τῶν*

ὁμωμοκότων γνώσεις committere τοῖς ἀνωμόταις. Hinc discerni videmus γραφὴν παρανόμων a supremo iudicio Nomothetarum, ubi in Timocratea § 37. explicantur φυλακαὶ τῶν νόμων, quas leges ipsae suppeditarent, ita ut illa actio et genere et usu diversa fuerit ab altera illa legum φυλακῇ per Nomothetas. Itaque videmus, quum constet illam actionem dari potuisse adversus eum, qui vel tantillum, nova lege ferenda, neglexisset ea quae circa νομοθεσίαν praescripta essent, *aliam* legem commemorari ex qua eadem actio daretur si lex, quae ferretur, contraria esset τοῖς κειμένοις νόμοις, in Leptinea § 96. (ἑτέρου κελεύοντος νόμου). Quoniam autem in ipsa illa legum ferendarum disciplina necessario eae leges ferebantur quae veteres contrarias tollerent, consequitur τὰς παρανόμων γραφὰς fuisse illa disciplina vetustiores. Omnino primum, quod sciam, παρανόμων γραφαὶ diserte commemorantur apud Thucydidem VIII. 67, ubi narratur qua ratione Quadringentorum imperium fuerit constitutum. Igitur explicat Thucydides decem illos ξυγγραφεῖς hoc tulisse in contione, licere unicuique ἀνειπεῖν γνώμην ἣν ἄν τις βούληται, poenasque decerni in eum, qui τὸν εἰπόντα γράψηται παρανόμων. Intelligendum est inde, illam tum fuisse unam φυ-

λακὴν iuris constituti et publici et privati, per quam quod quis in contione, ἐν ἀνωμότοις, pertulisset, revocari posset ad τοὺς ὀμωμοκότας, i. e. ad δικαςήριον, cuius γνώσεις ratae futurae essent. Constat autem in hoc iudicio non tantum hoc petiisse actorem ut ipsa lex ne κύριος esset, sed eius latorem quoque ita ὑπεύθυνον habitum fuisse, ut poena in eum aestimari posset, nisi annus iam praeteriisset. Non valuisse hoc in eo, cuius lex Nomothetarum γνώσει accepta esset, quum ratio suadet, quippe omnia παρὰ τοῖς ὀμωμοκόσι κυροῦται, tum illustri exemplo declaratur apud Demosthenem in Olynthiaca III. § 10 sq., ubi explicat Orator, per Nomothetas demum sine cuiusquam periculo obtineri posse ut eae leges tollerentur, quae impediebant quo minus quis meliora περὶ τῶν ςρατιωτικῶν et περὶ τῶν ςρατευομένων ferret ad populum, neque ante quaerendum esse qui εἰπὼν τὰ βέλτιςα ἀπολέσθαι vellet. Prudentem admonitionem tamen neglexit Apollodorus, cuius de illo argumento psephisma παρανόμων ἐγράψατο Stephanus, sicut narratur in Orat. Contra Neaeram § 4 sq., idque psephisma. (ut probabiliter disputat Boehneckius Forschungen p. 28.) eiusdem anni est cuius ipsa III^tia Olynthiaca. Apparet nunc quare quae

per Nomothetas essent perlata proprie νόμοι appellarentur, contra quae leges extra illam veterem disciplinam ferrentur, proprie ψηφίσματα fuisse appellata, sicut suam legem, νόμον τριηραρχικόν, Demosthenes ψήφισμα quoque appellat, De Corona § 105, cuius nomine ideo παρανόμων accusari potuit, quod illud extra Nomothetas tulisset.

Totum autem Nomothetarum institutum Demosthenis aetate iam adeo neglectum erat et obsoluerat, ut, quum illud in III^tia^ Olynthiaca commendabat, παράδοξόν τι dicturum se putaret: atque hinc explicandum quod ab Aeschine dicitur in principio Ctesiphonteae (§ 5), ἐν ὑπολείπεται μέρος τῆς πολιτείας, αἱ τῶν παρανόμων γραφαί, id est, reliquis φυλακαῖς τῶν νόμων, quibus niteretur libertas et moderatio in civitate, sublatis, hoc unum superesse: tum in Leptinea § 92. merito queritur Orator, ex illa licentia ac temeritate legum ferendarum praeter vetus illud institutum hoc exsistere, ut ψηφισμάτων οὐδ' ὁτιοῦν διαφέρουσιν οἱ νόμοι, ἀλλὰ νεώτεροι οἱ νόμοι, καθ' οὓς τὰ ψηφίσματα δεῖ γράφεσθαι, τῶν ψηφισμάτων αὐτῶν ὑμῖν εἰσίν. Sed in his verbis quum mihi illud νεώτεροι h. l. vix explicari posse videretur, perperam tamen olim sic corrigi volebam, ut ei

substitueretur κενώτεροι· nunc magis placet, ratione habita totius argumentationis, ut corrigatur ἀλλ' ἐναντιώτεροι.

Aliud notabile exemplum legis κατὰ ψήφισμα latae, et per γραφὴν παρανόμων sublatae, exstat apud Aeschinem Timarch. § 35 sq., quum adversarius contenderet eam οὐκ ἐπιτήδειον esse. Sed opportunitate legis triërarchicae, quam Demosthenes per psephisma pertulit, operae pretium est ut explicare conemur quid sit ὑπωμοσία, quoniam inde unius et alterius loci interpretatio suspensa est.

Etenim, quum quaeritur utrum ὑπόμνυσθαι et ὑπωμοσία sit actoris an rei, necessario ordiendum videtur ab iis locis, in quibus nulla dubitatio relinquitur. Apud Demosthenem in Midiana § 84, ubi narratur quid accidisset circa Stratonis δίαιταν, dicitur, ἐπειδὴ ποθ' ἧκεν ἡ κυρία, πάντα δ' ἤδη διεξεληλύθει τὰ τῶν νόμων, ὑπωμοσίαι καὶ παραγραφαί, sero sed frustra petivisse Midiam a Demosthene ut remitteret arbitrium εἰς τὴν ὑςεραίαν· quod quum non concederetur, Midiam οὐκ ἀπαντῆσαι, tum damnatum esse. Ita illo die causa cecidit Midias, quum ante praeterire passus esset legitima tempora remittendi iudicii, interposita vel ὑπωμοσίᾳ, vel παραγραφῇ, quarum alterutra uti potuisset.

Nihil magis aequum est quam ut dicamus ὑπωμοσίαν, ut παραγραφὴν, Midiae reo, non actori concessam fuisse. In Oratione Contra Euerg. et Mnesib. § 45, manifesto de reo dicitur, ἐπειδὴ ἡ ἀπόφασις ἦν τῆς δίκης, ὁ μὲν Θεόφημος παρεγράφετο καὶ ὑπώμνυτο, ἐγὼ δὲ — εἰσῄειν εἰς ὑμᾶς. Conf. ibid. § 39. Alio loco, Cont. Olympiodorum § 25, non quidem agitur de reo aut de actore, sed ὑπόμνυσθαι dicitur de eo, qui apud Archontem excusatione prolata, iudicium differri postulat. Apertissimum est exemplum in Oratione Contra Theocrin. § 43. Theocrines adversus Demosthenem instituerat γραφὴν παρανόμων, sed φανερῶς ἀφῆκε τῆς γραφῆς ἐφ' ᾗ δέκα τάλαντα ἐπεγράψατο τίμημα· fecitque hoc nihil novi moliens: Demosthenem (reum) τις ὑπωμόσατο καλουμένης τῆς γραφῆς ὡς νοσοῦντα — τοῦτον δ' οὗτος (ὁ Θεοκρίνης) εἴασε καὶ οὔτε τότε ἀνθυπωμόσατο, οὐδ' ὕςερον ἐπήγγελκεν. Igitur ὑπωμοσία, quam reus vel ipse, vel per alium interponebat, pertinebat ad differendum iudicium, postea ab actore, prout luberet, denuo instituendum, aut plane omittendum. Hinc vocabuli interpretatio apud Harpocrationem in V. Sequitur considerandus locus hic, Demosthenis Adv. Boeotum de Nomine § 37. Quum actionem (inquit actor) instituissem Βοιωτῷ Μαντίου

Θορικίῳ, hic (reus) et initio ἠντεδίκει καὶ ὑπώμνυτο ὡς ὢν Βοιωτὸς, et postremo, quum ei fallere non amplius liceret, ἐρήμην ἐάσας καταδιαιτῆσαι — ἀντιλαγχάνει μοι τὴν μὴ οὖσαν κ. τ. λ. Hic reus igitur, quum interposuisset ὑπωμοσίαν, tum in ipso iudicio οὐκ ἀπήντα (ut loquitur Orator in Midiana l. c.) [1], itaque per contumaciam damnatus est. Quidquid igitur apud Magistratum ipsum denuntiavisset reus, sive ea exceptio esset, sive excusatio absentiae, non ita evertebatur iudicium aut disceptatio apud iudices: itaque hunc locum interpretari existimandus est Pollux VIII. 60.

Nisi me omnia fallunt, satis ita constare puto ὑπωμοσίαν et a reo proponendam fuisse, et post actionem ab alio institutam, et ante ipsum iudicium: et suspicor illud compositum (ὑπόμνυσθαι) eiusdem esse generis, cuius est ὑποτιμᾶσθαι, quod item rei erat. Itaque recte universe explicuisse mihi videtur Schoemannus Lit. Att. p. 697: tantoque magis miror eum alia omnia sentire ubi locum Demosthenis explicat De Corona § 103: vid. De Comitiis p. 164. Non omnino quidem poenitet me eorum quae contra

1) Unde apparet falso interpretari ὑπωμοσίαν, Eustathium ad Odyss. p. 400.

disputavi Vol. IV. p. 50 sqq., sed aliquanto diligentius ea retractanda sunt quam feci in Mnemosyne V. p. 226 fin. Unde *compererit* Schoemannus (l. c.) solam denuntiationem instituendae *γραφῆς παρανόμων* fuisse modum accusandi, eamque esse *ὑπωμοσίαν*, non indicavit: quodque addit »talem denuntiationem s. »*ὑπωμοσίαν* etiam legibus apud Nomothetas op»poni potuisse, omnes adhuc pro certo habuis»se," horum postremum, nihil intercedo quin verum esse possit, sed per se levius est quam ut hoc uno fulcro illa sententia niti possit. Tamen comperisse sibi videtur *ὑπωμοσίαν* esse ipsam accusationem *παρανόμων*, e Polluce VIII. 44 et 56. Quam futilis sit auctoritas istius Lexicographi, non minus hic apparet, quam in innumerabilibus aliis exemplis. Altero loco, *παρανόμων γραφὴν* explicaturus, dicit eam esse *εἴ τις ψήφισμα γράφοι, ἢ νόμον παράνομον· ὑπομοσάμενος γάρ τις τὸ γραφὲν, οὗ ἡ κατηγορία ὑπωμοσία ἐκαλεῖτο, διήλεγχεν ὅτι ἐςὶ παράνομον κ. τ. λ.* Primum et sine exemplo est, et rationi contrarium, ut *ὑπόμνυσθαι* cum obiecti accusativo iungatur: tum, *τὸ γραφὲν*, contra sermonis normam perpetuam, velut passivum ponitur locutionis *ψήφισμα γράφειν*, neque illud participium nisi ad medium *γράφεσθαι*, actionem

instituere, pertinet; eodemque vitio Graecitatis laborat alter locus. Porro, neque *κατηγορία*, neque *κατηγορεῖν* aut cum psephismatis, aut cum legis obiecto iungi potest, sed ad crimina pertinet, quae in ipsa causae actione reo obiiciuntur. Ne hoc quidem tenuit Pollux, quod demonstrandum esset actori *παρανόμων*, non *ἄδικον* appellari id quod impugnaret, sed *οὐκ ἐπιτήδειον*. Conf. Timocratea § 61. 108. Sed remittamus ei veri sermonis turpissimam violationem: de rebus ipsis quid docet? Describit *γραφὴν παρανόμων*, et quasi haec appellatio nihili esset, addit illam accusationem appellari *ὑπωμοσίαν*, cuius mirae confusionis ne ullum quidem auctorem laudat, nec laudare potuit. Quid quod, neglectis omnibus quae supra e Demosthene apposuimus, *ὑπωμοσίαν* cum una *παρανόμων* controversia coniungit, itaque ex omnibus aliis iudiciis excludit. In eodem errore alter locus versatur: *τοῦτο γὰρ* (nempe *τὸ γράφεσθαι παρανόμων*) *ὑπομόσασθαι λέγουσι·* additurque, *καὶ οὐκ ἦν μετὰ τὴν ὑπωμοσίαν τὸ γραφὲν, πρὶν κριθῆναι, κύριον·* imperite; nam intererat uter in illo iudicio vicisset, *ὁ γραφόμενος*, an *ὁ γραφείς*. Cum Polluce Plutarchi scilicet auctoritatem coniungit Schoemannus, ubi in Vit. X. Orat. p. 848 C. ab illo scriptore verbum *ὑπομόσασθαι*

isto modo usurpatur, qui melius fecisset si in ea re Demosthenem secutus esset De Corona § 222 scribentem, ὁ δὲ γραψάμενος Διώνδας, non ὑπομοσάμενος.

Si obtinui inanem esse auctoritatem talium scriptorum, (quibus tamen fidem habens Meierus eandem doctrinam tenet Lit. Att. p. 285), non puto eam adhiberi posse ad interpretandum Demosthenem, quem et constanter et bene Graece scripsisse novimus. Quaeri solet de verbis his, De Corona § 103, καταβαλόντα ἐᾶν ἐν ὑπωμοσίᾳ. Cognita res est. Ditiores, qui suo commodo metuebant, quum constaret Demosthenem novam legem triërarchicam laturum esse, muneribus oblatis avertere calamitatem operam dabant, μάλιςα μὲν, inquit Orator, μὴ θεῖναι τὸν νόμον τοῦτον, εἰ δὲ μὴ, καταβαλόντα ἐᾶν ἐν ὑπωμοσίᾳ. Tantum apparet, utriusque consilii eundem eventum exspectari debuisse, nempe ne vetus lex tolleretur: igitur καταβαλόντα ἐᾶν (nempe τὸν νόμον) necessario accipiendum est de eo legis rogatore, qui non ad extremum usque, id est apud iudices, legem suam propugnat, cui consillo oppositum erat id, quod Demosthenes secutum se esse profitetur, quum dicit, γραφεὶς τὸν ἀγῶνα τοῦτον εἰσῆλθεν εἰς ὑμᾶς. Igitur ipsi causae actioni ac defensioni

quum de more antecederet ὑπωμοσία, a reo apud magistratum proponenda, quum is iureiurando interposito accipere se controversiae ac iudicii discrimen profitebatur, hanc ipsam deserere poterat reus, atque id, quod a Demosthene postulabatur, ut vellet ἐᾶν τὸν νόμον ἐν ὑπωμοσίᾳ, aliis verbis diceretur κληθέντα οὐκ ἀπαντᾶν οὐδὲ ὑπόμνυσθαι, ipsam quoque ὑπωμοσίαν omittere. Conferri potest Lycurgus Leocrat. § 117, ubi Hipparchus dicitur, οὐχ ὑπομείνας τὴν περὶ τῆς προδοσίας — δίκην, ἔρημον τὸν ἀγῶνα ἐάσαι. Nescio quo modo se expediant, qui tenent ὑπωμοσίαν nihil aliud esse nisi denuntiationem eius qui profitetur γραφὴν παρανόμων a se institutum iri. Necessario enim ἐᾶν τὸν νόμον de eo dicitur, qui officium omittit, quo legem suam defendat: is autem adversus quem vel denuntiabatur, vel etiam instituebatur γραφὴ παρανόμων, non poterat dici eo ipso, quod adversarius ageret, ἐᾶν τὸν νόμον, sed omittendo eo, quod primum ab ipso esset praestandum. Additurque καταβαλόντα, quasi qui legem tulisset, nec tamen ulterins teneret, tamquam debitum quoddam solvisset, ita ut fidei satisfecisse videretur. Non negligendus est, de hac lege trierarchica, Dinarchus Contra Demosthenem § 42, ubi exprobrat ei quod τρία τάλαντα λαβὼν μετ-

ἔγραφε καὶ κατεσκεύαζε τὸν νόμον καθ' ἑκάστην ἐκκλησίαν, e quibus postremis verbis tamen non conficiendum est leges, posthabitis Nomothetis, tamen in pluribus contionibus deinceps disceptari solitas fuisse.

His expositis non opus erit, opinor, Hudtwalckeri satis longam disputationem persequi, ubi (Diaetet. p. 89—97) demonstrat quinque genera fuisse ὑπωμοσίας, cuius tamen necessario una indoles, unumque consilium fuit hoc, ut reus apud magistratum iureiurando interposito profiteretur se iudicium per actoris actionem sibi intentum accipere, suamque causam defensurum esse, ita tamen ut ea professione alius quoque fungi posset, cum ipsius rei absentiae excusatione. Sed ex hac disputatione primum excludendus est locus Aristophanis Plut. 725, ubi vera lectio est, ἵν' ἐπομνύμενον (non ὑπομν.) παύσω σε τὰς ἐκκλησίας. Tum videndum de loco Xenophontis Hellen. I. 7. 34. Multo melius, quam solent viri docti, et rem et vocabulum explicuit Grotius in Histor. Graec. V. VIII. p. 203 not. Permissa fuerat contioni διαχειροτονία, utrum mallet secundum Euryptolemi rogationem illos imperatores iudicari secundum Canoni psephisma δίχα ἕκαστον, an, secundum Senatus προβούλευμα, μιᾷ ψήφῳ ἅπαντας. Τού-

των δὲ, inquit, διαχειροτονουμένων πρῶτον ἔκριναν τὴν Εὐρυπτολέμου· ὑπομοσαμένου δὲ Μενεκλέους, καὶ πάλιν διαχειροτονίας γενομένης (l. γιν.) ἔκριναν τὴν τῆς βουλῆς. Igitur aequum est ut intelligamus Meneclem obstitisse eventui suffragiorum quem Prytanes, post primam διαχειροτονίαν, proclamassent, fierique potest ut is in ea oppositione minis usus sit, cuius generis in eadem contione factae esse commemorantur § 12 sqq., quas multitudo clamore adiuverit: quumque per illam primam διαχειροτονίαν condemnaretur ea causa, quam Menecles propugnabat, uti licuit Xenophonti iudiciali illo verbo ὑπόμνυσθαι), quo significaret Meneclem provocasse ad ipsius contionis iudicium an suffragiorum eventus verus fuisset.

Restat ut aliquid de Syndicis adiiciamus, quoniam difficile est in iis acquiescere quae viri docti de hoc argumento hucusque explicuerunt, et retractanda sunt quae olim disputavi, Vol. IV. p. 60 sqq. Ut alios nunc omittam, novissime hoc argumentum tractavit Westermannus l. c. p. 43 sqq., opportunitate eorum quae in subdititia illa Ἐπιχειροτονία νόμων scripta erant (Timocrat. § 23) his verbis: αἱρεῖσθαι δὲ καὶ τοὺς συναπολογησομένους τὸν δῆμον τοῖς νόμοις, οἳ ἂν ἐν τοῖς νομοθέταις λύων-

ται, πέντε ἄνδρας ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων —. Merito in his complura reprehendit Westermannus, cnm ipso consilio legis coniuncta, quamquam statim praeposterus verborum ordo scriptoris imperitiam arguit, quum extra obliquam orationem dicitur αἱρεῖται τοὺς συναπ. ὁ δῆμος τοῖς νόμοις. Nusquam quidem diserte proditur creari solitos fuisse qui apud Nomothetas publice defenderent veterem legem, cui nova substitueretur; sed tamen, ubi in Timocratea § 36 diversae φυλακαὶ enumerantur quibus leges tueri voluissent Athenienses, commemorantur οἱ συνήγοροι οὓς χειροτονεῖτε, eaque mentio ita coniungitur cum illo veteri νομοθεσίας instituto, ut necessario sumendum sit, quum res ad tertiam illam contionem pervenisset, in hac non tantum constitutum esse de quo Nomothetas decernere oporteret, sed simul suffragiis populi creatos esse qui apud illos adversus novae legis latorem veterem defenderent. De numero istorum Syndicorum tamen neque illo Timocrateae loco quidquam traditur, neque in Leptinea § 152, ubi appellatur illud ipsum ὑπὸ τοῦ δήμου χειροτονηθέντα συνδικῆσαι. Syndicos tamen creari, quibus istud munus apud Nomothetas imponeretur, lege praescriptum fuisse ideo verisimile est, quod in alia

causa Dinarchus Contr. Demosth. § 58. sic loquitur, κατηγόρους εἵλεσθε κατὰ τοὺς νόμους. Westermannus autem, quum quinquenarium illum Syndicorum numerum, quem indicabat Ἐπιχειροτονία νόμων, tenere vult, laborat propter haec verba Leptineae § 146: ᾕρηνται δὲ τῷ νόμῳ σύνδικοι Leodamas, Aristophon, Cephisodotus et Dinias, contenditque Leptinem ipsum quintum fuisse. Equidem minus puto ambigendum esse de numero; sed hoc esse tenendum, (quum, ut supra vidimus, Leptinea causa non apud Nomothetas acta sit), isto loco sermonem non esse de Syndicis quos populus in contione creavisset, sed de aliis, quos Leptinis tribules forte creavissent, qui proprie etiam αἱρεῖσθαι, non χειροτονεῖν dicebantur. Eiusmodi Syndicos extra contionis auctoritatem a tribulibus deligi solitos fuisse, qui defenderent eum qui e publica causa in ius vocatus esset, nec per se incredibile est, et nonnihil commendatur his verbis Andocidis Myster. § 150: ἔτι δὲ καὶ οἱ Φυλέται οἱ ᾑρημένοι μοι συνδικεῖν· magis etiam his, apud Demosthenem Aristocrat. § 206, ubi dicitur a iudicibus absolvi eos, quos gravissime deliquisse constet, ἂν παρὰ τῶν Φυλετῶν τινες ᾑρημένοι σύνδικοι δεηθῶσιν· siquidem neutro loco de causa agitur,

quae contionis auctoritate Nomothetis cognoscenda relinqueretur. Tum vix opus est in memoriam revocare, praeterquam in sollemni illa νομοθεσίᾳ, in aliis quoque publicis negotiis Syndicos χειροτονεῖσθαι i. e. a populo creari solitos fuisse: conf. Demosthenes De Corona § 134. Alterum autem genus illud Syndicorum, in quavis alia publica causa designari solitorum qui reum defenderent, intelligendum esse arbitror eo loco Leptineae § 152, quem modo indicabam, modo recte intelligatur. Quatuor illis, qui delecti Syndici erant legis Leptineae, hoc exprobrat Orator, quod eorum singuli πρότερόν τισι πράγμασι Syndici fuissent; atqui legem esse, μὴ ἐξεῖναι ὑπὸ τοῦ δήμου χειροτονηθέντα πλεῖον ἢ ἅπαξ συνδικῆσαι, additurque huius sanctionis consilium hoc, ἵνα μὴ τὸ πρᾶγμα ὥσπερ ἐργασία τισὶν ᾖ καὶ συκοφαντία. Sed eorum verborum nulla potest interpretatio esse nisi haec, »non licere ut qui a populo in »contione Syndicus creatus sit plus quam se»mel illo munere fungatur:" id quod ideo ferendum non est, quod a populo in contione Syndici in singulis causis creari solitos constat, non ita, ut ei qui semel creatus esset perpetuo idem officium obire liceret. Si voluisset Orator, non licuisse quemquam plus quam se-

mel Syndicum creari, dicendum fuerat, *μὴ ἐξεῖναι τὸν αὐτὸν πλεῖον ἢ ἅπαξ ὑπὸ τοῦ δήμου σύνδικον χειροτονεῖσθαι*. Sed huiusmodi lege liberrima illa populi in contione potestas contra ingenium civitatis constricta fuisset. Non latuit haec difficultas Heffterum, virum sagacissimum (vid. eius Athenaische Gerichtsverfassung p. 107), qui tamen frustra, Petitum secutus, ex simili, ut putatur, praescripto iuris Romani defendi posse putat: vetustiores quoque interpretes haeserunt in eo loco, quorum erant qui corrigere vellent *ὑπὸ τοῦ δήμου μὴ χειροτονηθέντα*· in quo aliquid viderunt, sed prave sententiam enuntiaverunt, quoniam sic diceretur, »qui a populo non creatus esset, huic non li»cere, sed licere ei, qui creatus esset." Retinetur populi libera potestas si alio modo inseritur negatio, nempe *μὴ ἐξεῖναι πλὴν ὑπὸ τοῦ δήμου χειροτον.* Hoc si probatur, consequitur legem illam valuisse ad coërcendam eorum sedulitatem, qui in privatorum causis Syndici vel creari vel adscisci solebant, ne illud munus in turpem quaestum verteretur, ita ut populo tantum integrum maneret eundem oratorem, si vellet, suffragiis publicae causae saepius defensorem constituere. Quam legem facile negligi potuisse et ipse ille Demosthenis

locus ostendit, et hic Lycurgi Leocrat. § 138, *ἐκπέπληγμαι δὲ μάλιστα ἐπὶ τοῖς μήτε γένει μήτε φιλίᾳ μηδὲν προσήκουσι, μισθοῦ δὲ συναπολογησομένοις ἀεὶ τοῖς κρινομένοις κ. τ. λ.*: quamquam interesse agnosco inter reliquarum omnium causarum patronos et eos qui in causa *παρανόμων* Syndici creabantur; tamen, quem in *συνηγόροις* quaestus faciendi morem prohibere voluit lex (conf. apud Demosthenem Contr. Stephan. II. § 26), eundem excludere voluisse videtur in Syndicis.

Operam dedimus ut pleraque et praecipua quae cum illa controversia de Nomothetis essent coniuncta, aliquanto diligentius explicaremus quam a viris doctis hucusque et a me olim perfectum erat. Igitur, quoniam haud incommodum videtur totius disputationis, quae fortasse liberior videbitur, aliquam *ἀνακεφαλαίωσιν* subiicere, primum demonstrare conatus sum Nomothetarum institutum, quale nobis ex Demosthenis Leptinea et Timocratea cognitum est, non habuisse auctorem Solonem (p. 238): tum, Thucydide auctore sumendum esse exstitisse illam legum ferendarum disciplinam sublatis demum Quadringentis (p. 240): subieci his, explicato loco Andocidis, refutationem eius sententiae, ex qua Nomothetae Tri-

gintaviris demum expulsis instituti fuissent (p. 242): mox quaesivi, quid interesset inter *νόμων ἀναγραφήν*, et *νόμων δοκιμασίαν* (p. 249): secuta est demonstratio, tum secundum Aeschinem, tum secundum Demosthenem, Nomothetis praecipue commissam fuisse *νόμων διόρθωσιν* (p. 253): deinde, Nomothetarum non fuisse tribunal, sed contionem, cui Proëdri praeessent (p. 257): mox egi de *ἐπιχειροτονίᾳ νόμων* (p. 261): tum demonstravi in illo instituto legum ferendarum nullam fuisse Senatus auctoritatem (p. 263), quibus subieci explicationem eorum quae ex lege servari oportebat in toto illo *νομοθεσίας* instituto (p. 268): interposui de causa Leptinea, eam non actam esse apud Nomothetas, ut neque Timocrateam (p. 276): tum, de *γραφῇ παρανόμων*, eam non pertinuisse ad Nomothetas (p. 283): de *ὑπωμοσίᾳ* deinceps disputavi (p. 288), postremo de Syndicis (p. 296).

In his omnibus si non nimis aberravi in scriptorum verbis explicandis et in rerum publicarum interpretatione, hoc mihi videor demonstrasse, illud Nomothetarum institutum pertinuisse ad temperandam nimiam populi contionis in tam gravi negotio potestatem, ita ut ideo in primis a Thucydide dicerentur Athe-

nienses εὖ πολιτεύσαντες· tum saluberrimam illam moderationem, omnemque illam legum διόρθωσιν, non fuisse constanter servatam, sed renascente identidem veteri populari libidine, neglectam paullatim obsoluisse, nihilque relictum esse praeter γραφὰς παρανόμων, in quibus valerent singulorum odia et inimicitiae et vindictae studia.

illo loco, quam nunc attingere non vacat. Non tamen reticebo quae mihi suspicio orta sit, quam tamen multum abest ut argumentis idoneis commendari posse existimem. Fieri potest ut non statim, non certe eodem tempore quo reliquas consulares, ita hanc quoque edendam paraverit: tum satis nunc constat in commentariis relicta esse ea, quibus nunc caremus post § 57. (conf. Plin. Epp. I. 20. 4. Niebuhr. Ciceron. Oration. fragment. Romae 1820. p. 40. et Rinkes. de Catilin. Prima Introd. p. XIV sq.) de Postumii criminibus, deque Serv. Sulpicii adolescentis criminibus. Tum ipse introitus, qui § 1. absolvitur, eam continet tautologiam, ut dicas Oratorem, quod edere vellet, diversis modis tentasse quo modo enuntiaret. Nisi tamen edidisset postea, non instaurasset eius memoriam, ut puto, Fin. IV. § 74. Sed, quemadmodum dicebam, non tantum tribuo huic suspicioni, ut rationes conquirere et explorare operae pretium sit. Videamus potius de uno alteroque loco, in quibus, quemadmodum e libris edi solet, laborare mihi videtur oratio.

Hoc quum instituissem in Mnemosyne IX. p. 221 sq., ad ea quae istic edidi retractanda excitatus sum gratissimo munere Halmii, viri

praestantissimi, qui mihi nuper misit dissertationem suam *De Codicibus Manuscriptis Murenianae*, lectam a se in Academia Scientiarum Bavariensi. Non tantum enim avide et studiosissime cognovi ea quae istic Halmius praeclare excogitavisset ad multorum locorum meliorem interpretationem et constitutionem, sed per illam operam ipse quum diligenter relegerem pulcherrimam orationem, in aliis quoque locis aliquanto melius me videre sentiebam quam ante fecissem. Atque hinc nata est haec repetita mearum qualiumcumque annotationum editio et auctarum et emendatarum.

Statim incido in haec, quae § 1. eduntur: *ut vestrae mentes atque sententiae cum populi Romani voluntatibus suffragiisque consentiant.* Quid probaret populus Romanus sane *suffragiis*, non *suffragio*, declaraverat in comitiis illis consularibus; sed ea sic ostensa erat populi *voluntas*, non *voluntates*, quod plurale in diversis et rebus et hominibus usurpari poterat, sicuti ad Div. VI. 6. 8, ubi Caesar dicitur *cedere multorum iustis — non inanibus — voluntatibus*, nempe, singulorum: et Leg. Manil. § 48 recte cives dicuntur *semper Pompeii voluntatibus assensisse*, nempe in singulis consiliis, et Orat. I. § 30.

hominum voluntates impellere quo velit. Sed, nisi illud postulatur, singulare poni solet, sicut Orat. I. § 242, *defensio testamentorum, voluntatisque mortuorum*, ubi nonnulli libri vitiose habent *voluntatesque.* Igitur in hoc Murenianae loco restituendum *voluntate*, pro *voluntatibus*, quoniam de populo Romano agitur, deque unis comitiis, sicut in Sest. § 106. dicitur *significari populi Romani iudicium ac voluntas contione, comitiis, ludorum — consessu*, non *iudicia ac voluntates.*

Nondum muto sententiam de his verbis § 2: *quae quum ita sint, — idem consul eum vestrae fidei commendat, qui antea dis immortalibus commendavit:* in quibus Bootius, nunc probante Halmio, corrigendum censebat *idem consulem eum*, quod non opus esset ut hoc diceret, Murenam a se consule, qam consulem hunc iudicibus, ut olim dis, commendari. Contra mihi videtur hoc postulari, ut dicat se consulem ea commendatione apud iudices uti, qua antea apud deos immortales: praeterea, syntaxin ipsam requirere, ut relativum, quod ad pron. *eum* refertur, eiusdem esset obiecti, itaque necessario, id in quod

Beneckius iam inciderat, legendum esse *quem*, pro *qui*.

Quod in § 3. Hahnius commendat, ut leni correctione legatur, *cuius reprehensio me vehementer monet* (pro eo quod editur *movet*) — *ut rationem facti mei probem*, ideo minus accipio, primum quod *movere* recte h. l. pro *impellere* ponitur, maxime, quod adv. *vehementer* improprie cum *monendi* verbo iungitur. — Mox, in verbis *ut ipsi Catoni*, delendum hoc nomen proprium est, cuius significatio iam inerat in pron. *cuius*, initio huius sententiae.

Statim § 3, ubi respondet Catoni, qui negaret rectum fuisse Ciceronem Murenae causam attingere, et alia dicit, et haec: *quis mihi in re publica potest aut debet esse coniunctior, quam is cui res publica a me uno traditur sustinenda, magnis meis laboribus et periculis sustentata.* Nulla commemoratur varietas, nisi *una* pro *uno.* Sed *una tradi rem publicam* merito sensu cassum visum est. Quid autem est *a me uno traditur?* Fac ita gloriari Ciceronem, omnia per se gesta esse hucusque, nihili fuisse Antonium, (quamquam ne sic quidem enuntiandum hoc erat, ut diceret *ego unus trado rem publi-*

cam,) excluditur huiusmodi sententia ea gloriatione quae statim subiicitur (*magnis — sustentata.*) Sed ne *traditur* quidem recte dicitur. Quum Cicero Murenam comitiis centuriatis *renuntiabat* consulem aut *declarabat*, nondum ei *tradebat rem publicam.* Non contendo verum me vidisse, sed tamen coniicio scripsisse Ciceronem, *cui res publica continuo tradetur sustinenda —*. Igitur infra § 80. dicit, *cui rem publicam cupio tradere incolumem.* Frustra certe Halmius coniecit *cuncta.*

Ubi orator Catonis reprehensioni occurrit, demonstratque rectum esse se *et consulem et legis ambitus latorem et tam severe gesto consulatu causam L. Murenae attingere*; praeter alia hoc exemplo utitur § 3: *quod si in iis rebus repetendis, quae mancipi sunt, is periculum iudicii praestare debet, qui se nexu obligavit, profecto etiam rectius in iudicio consulis designati is potissimum* [*consul*], *qui consulem declaravit, auctor beneficii populi Romani defensorque periculi esse debebit* (§ 4). *Ac si* (ut statim subiicitur), *ut nonnullis in civitatibus fieri solet, patronus huic causae publice constitueretur, is potissime honore affecto defen-*

sor daretur, qui eodem honore praeditus non minus afferret ad dicendum auctoritatis, quam facultatis. In his facile sane erat corrigere *potissimum:* sed quid quaeso adipiscuntur legentes assumta Madvigii correctione *potissimum summo?* Valeat nonnumquam illa observatio mendorum, quae e superlativi cuiusdam terminatione orta sunt, (qua ipsi quoque subinde usi sumus), sed h. l. nihil ea proficitur. Quid est enim *honore affecto?* in quo omnis difficultas est. *Honore afficere* quem, ut *honore prosequi*, recte sane dicitur, sed sine ulla significatione certae potestatis, aut magistratus, quem populus alicui mandet, ita ut absurdum esset si diceretur *consulatu*, aut *imperio afficere* quem. Tum inscita est illa verborum compositio, qualis hic deprehenditur, ut alterum in ablativo (*honore*,) alterum in dativo ponatur (*affecto*). Postremo, credibilene est Oratorem tam brevi intervallo bis *defensoris* verbo usum esse? Quo verbo sublato et verum substantivum refingendum est, et compositio restituenda, et sententia revocanda ad aliquam certe similitudinem eius exempli, quod modo ante excitarat. Legendum censeo: — *is potissimum honoris assertor daretur*, nempe adversus eum, qui alteri cri-

pere eum honorem aggrederetur. Cognitum est in Cicerone *asserere*, pro *vindicare*, quo Velleius Paterculus quoque et Plinius in Epist. utuntur: quumque *assertoris* nomen usurpet Suetonius, pro *defensore*, eiusque frequens usus sit in Pandectis, vix dubitari potest quin Cicero, qui innumerabilia istiusmodi substantiva derivata in *or* formaverit ipse, hoc quoque verbo uti potuerit, quo praesertim eiusmodi iudicii imaginem fingeret, quae sibi hanc causam defendenti utilis esset.

Quod Kaysero videbatur, in § 4. verba *alio loco* nihil huc pertinere, quum paullo post § 6. dicat *alia in parte orationis* sibi dicendum esse, non attendit haec postrema ad aliud argumentum referri: *alio loco* explicui nuper Mnemos. IX. p. 206. Neque amplector id, quod ille commendat, ut initio huius §, pro *ac si*, substituatur *etenim si*. Non instituitur initium argumentationis, sed idem, quod modo, alio exemplo illustrat.

In § 5. manifesto vitiosum est quod constantur editur, *ut eam (legem) quam mihimet ipsi iam pridem tulerim.* Corrigendum, *tuleram.*

Obiecerat Cato, Ciceronem, legis ambitus latorem, non oportere causam Murenae attinge-

re: respondet Orator § 5, *quum nihil commissum contra legem esse defendam, quid est quod meam defensionem latio legis impediat?* quasi Ciceronis defensionem latio legis excludere videretur. Contra, agitur de illo genere defensionis, in qua contenditur nihil commissum esse. Igitur necessario corrigendum, *quod eam defensionem*. Recte *meam defensionem* appellat § 2 et 6.

Sequitur in § 6. refutatio eius, quod tertio loco obiecerat Cato, propter severe a Cicerone gestum consulatum, his verbis: *negat esse eiusdem severitatis* —: in quibus quod Mommsenius commendabat, ut corrigeretur *at negat*, propterea minus probandum est, quod nullo vinculo haec refutatio cum praecedenti iungi potest. Potius corrigendum est *negas*, quoniam Catonem ipsum in tota hac demonstratione alloquitur, ut in sequentibus Ser. Sulpicium.

Ego, (inquit § 7.) *Servi Sulpici, me in petitione tua tibi omnia — praestitisse arbitror. Nihil tibi consulatum petenti a me defuit*, *quod* cet. —. Quum modo praecedat *in petitione tua*, putidum videtur et molestum iterari hoc statim, verbis *consulatum petenti*, quae mihi interpolata esse videntur.

Nam proximo loco, § 8, ubi est *quum peteres consulatum*, requirebatur hoc, cui opponeretur *quum Murenam ipsum petis.*

Si nihil perplexum aut inexplicabile in Ciceronis oratione ferendum est, merito, credo, haeremus in his, § 8: *mihi cum Murena et magna et vetus amicitia est, quae in capitis dimicatione a Ser. Sulpicio non idcirco obruetur, quod ab eo in honoris contentione superata est.* Quamquam *obrui amicitiam* non ineleganter dictum est, nullo tamen modo probari potest ut dicatur *superari amicitiam*, quasi ipsa amicitia contendisset. Legendum censeo, *quod hic ab eo — superatus est.* — Quod in eadem § corrigendum esse dixeram, *summae mihi superbiae*, pro *summam*, in Mnemosyne vitio operarum expressum est *summa.*

In § 9. haec eduntur: *quod si licet desinere, si te auctore possum, si nulla inertiae nota, nulla superbiae turpitudo, nulla inhumanitatis culpa suscipitur; ego vero libenter desino. Sin autem fuga laboris desidiam, repudiatio supplicum superbiam, amicorum neglectio improbitatem coarguit, nimirum haec causa est eiusmodi, quam nec industrius quisquam nec misericors nec*

officiosus deserere possit. Prorsus assentior Bootio, repudiandum esse quod Lambino auctore editum erat, *nota*, tum abiiciendum *turpitudo:* ideoque haec mihi opinio placet, quoniam primum ita liberatur verbum *suscipitur*, (quod ut Planc. § 52. recte cum *culpa* iungitur) violento zeugmate, tum quod difficile est *turpitudinem* cogitare in *superbia*, quemadmodum ne *nota* quidem *inertiae* recte dicitur. Praeterea suadeo ut corrigatur *desinam.* Tum difficile est probare *quisquam*, Gulielmi auctoritate susceptum, contra Codd., ut videtur, in quibus vel *quem* exstat, vel totum omissum est. Nusquam deprehendi *quisquam* ita iungi cum adiectivo: contra, sicut *nemo*, vel cum genitivo plur. componitur, ut *quisquam omnium mortalium*, vel cum substantivo, ut *quisquam vir.* Et omnino, in eiusmodi negatione si *quisquam* ponitur, excluditur magnus numerus, aut potius de omnibus pronuntiatur, ut Verr. IV. § 123. *taetrior hic tyrannus Syracusis fuit, quam quisquam superiorum.* Nec tamen cogitari potest *quisquam industriorum*, quorum quippe notatio et definitio incertissima est. Quod scribere potuit Orator, hoc esse suspicor, *nec industrius homo*, sicuti *hominis* subst. saepe

in eiusmodi enuntiatione utitur, ut infra § 19. *unum hominem:* § 28, *mihi homini vehementer occupato:* § 54. *Catoni, homini in omni virtute excellenti:* § 64. *prudentissimum hominem:* § 75. ter recurrit. Dicam fere ista adiectiva usurpari hoc modo non posse sine adiecto illo substantivo.

Leviter corrigendum mihi videtur in his, § 11; *an, quum sedere in equis triumphantium praetextati potissimum filii soleant, huic donis militaribus patris triumphum decorare fugiendum fuit, ut rebus communiter gestis paene simul cum patre triumpharet?* Aptius videtur, *et rebus — triumphare?* Non placet, quod e Monac. edidit Halmius, *ne rebus.*

Non accedo Halmio, qui in § 11, ubi dicitur Asiam a Murena *in militari labore peragratam* esse, abiicit *in.* Dici poterat de imperatore, *Asiam victoriis peragrare:* sed quum *labor* h. l. voluptati et luxuriae opponatur, itaque durae belli gerendi molestiae significentur, *in* illo *labore* Asiam peragravit Murena, neque *voluptate*, sed *in voluptate peragrare* diceretur.

Ne hoc quidem assentior Halmio, initio § 12, pro *hic vero*, legendum esse *hunc vero.*

Non quaerenda Oratori erat oppositio ad ea quae modo dixerat, sed asseveratio, et, ut modo, eodem pron. usus quaesierat *huic — fugiendum fuerat?*, ita nunc, de eodem, *hic vero*, i. e. profecto.

Miror neglectam esse in § 13. Lambini correctionem, quem necessario offendere debuit quod dicitur *arripere maledictum — ex scurrarum aliquo convitio*, tam absurdum quam si diceretur *convitium ex maledicto*. Legamus igitur *convivio*. — Contra, aliquanto inferius in eadem § alterum illud nomen bis restituendum est, ubi edi solet: *tu mihi arripis hoc, quod necesse est omnium vitiorum esse postremum, relinquis illa quibus remotis hoc vitium omnino esse non potest.* Non puto Ciceronem *vitia* numerare voluisse, ut eorum aliquod primum, aliud *postremum* poneret: neque ea, quae modo enumeraverat (*tempestivi convivii* cet.) *vitia* erant, neque *saltatio* vitium appellari poterat. Non dubito quin scripserit *omnium convitiorum*, et *hoc convitium.*

Non puto usquam Catonem uno praenomine indicari, et in § 13, pro *Marce*, mallem *M. Cato.* Confirmat Zumptius.

In § 14, ubi editur, *inimicorum confes-*

sione virum bonum atque integrum hominem defendimus. Kayserus requirebat *hominem esse defendimus*, et hoc postremum adeo mutari volebat in *defenditur.* Non puto commendari hanc opinionem collatione eius, quod exstat § 34, *hoc igitur in bello L. Murenam, legatum fortissimi animi, summi consilii, maximi laboris cognitum esse defendimus*, in quibus abesse non poterat *esse*, quoniam defendebatur id, quod in facto consistebat, in illo loco contra non nisi ad existimationem de Murena attenditur. Igitur et *virum bonum*, et *nocentem defendere* dicitur, neque adsciscere licet *esse*, tamquam si generale quoddam placitum esset de quo ageretur.

Manifesto deprehensam tenemus grammatici cuiusdam interpretationem, quae per errorem in Ciceronis orationem adscita est, § 15, ubi dicitur: *et proavus L. Murenae, et avus praetores fuerunt, et pater, quum amplissime atque honestissime ex praetura triumphasset, hoc faciliorem huic gradum consulatus adipiscendi reliquit.* Haec plana sunt et eleganter enuntiata. Abiiciamus igitur ea quae adduntur: *quod is iam patri debitus a filio petebatur*, quum praesertim in-

scite composita sint: necessario enim pron. *is* referendum ad *gradum consulatus*, et ne ipsum quidem consulatum cuiquam *deberi* dicendum erat.

In § 15, *ut neque ipse* (*Murena*) *dignitate vinci potuerit*, *neque te dignitate superarit*, Halmius censet abiiciendum esse alterum illud *dignitate*. Equidem non facile illo iterato caream, quoniam diserte significare voluisse mihi videtur Orator, Murenam certe superavisse in illa honoris contentione Sulpicium, sed, ut post explicat, aliis bonis et virtutibus, *non dignitate*.

Tua nobilitas, Servi Sulpici, (inquit § 16.) tametsi summa est, *tamen hominibus literatis et historicis est notior*, *populo vero et suffragatoribus obscurior*. In his recte *homines literati* appellantur: sed neque *homines historici*, neque *historici* substantive dictum Tullianum est, neque ibi hoc usurpavit Cicero ubi maxime commodum fuisset, veluti Orat. II. § 51 sqq. Legg. I. § 6 sqq. Praeterea, si historiae scriptores intellexisset, difficile erat hos intra praesentem aetatem, ut literatos homines, includere. Aptius crediderim, *et otiosis*.

In eadem § haec comparatio instituitur inter

Q. Pompeium et Aemilium Scaurum: *nec mihi umquam minus in Q. Pompeio — virtutis esse visum est quam in — M. Aemilio: etenim eiusdem animi atque ingenii est posteris suis, quod Pompeius fecit, amplitudinem nominis, quam non acceperit, tradere, et, ut Scaurus, memoriam prope intermortuam generis sui virtute renovare.* Tum ad ambiguitatem vitandam, tum quod necessario in Scauro designandum erat quod ipse attulisset, legendum est *sua virtute*, id quod Halmius quoque commendat.

Quum dicit § 17. a se iam perfectum esse ne generis ignobilitas obiiceretur multis viris fortibus, addit, *qui non modo Curiis — commemorandis iacebant.* Sed quomodo illi *iacere*, i. e. sperni potuerunt *commemorandis Curiis*, cet.? In promtu est corrigere *commemoratis*, i. e. quamvis commendarent eos multi *commemoratis* illis exemplis hominum novorum.

Non puto defendi posse hoc, quum legitur § 18, *quum multi pares dignitate fiant, unus autem primum solus possit obtinere.* Quod enim obiectum indicatur illo *primum?* Sed populus facit aliquem *primum* (ut Pison. § 2.), ita ut is fiat *primus.* Ut brevi absol-

vam, et hoc ex ignorantia librarii ortum est, et inde reliqua deformata. Legendum censeo, *unus tantum primus possit obtinere.*

Mommsenius non videtur perspexisse, quum ibidem modo dixisset Orator *non ad omnia respondendum esse*, mox ubi ad utriusque praeturam explorandam pergit, ei necessario dicendum esse, *sed quaestura* —, quod ille perperam in *et* mutari volebat.

Si ratio valebit, corrigendum videbitur in his, § 18: *neque enim quemquam vestrum fugit — non eumdem esse ordinem dignitatis et renuntiationis; propterea quod renuntiatio gradus habeat, dignitas autem sit persaepe eadem omnium*: imo; *habet*, et *est*: nihil haec attingit praecedens forma accusativi cum Infinitivo.

Consedit utriusque nomen in quaestura; nullum enim vobis sors campum dedit, in quo excurrere virtus cognoscique posset. Sic patienter legi tulerunt Editores in § 18, neque animadversum est ineptissimum esse illud *consedit*, quantocyus mutandum in *consenuit*, quod putidum sit exemplis evincere.

Una vocula amissa ridicule distrahuntur quae in unam sententiam contrahenda erant, initio § 19, ubi legendum est, *reliqui temporis*

spatium si in contentionem vocatur, ab utroque dissimillima ratione tractatum est. Interposui *si.*

Corrupta esse mihi videntur haec, § 20. ubi explicat quae integritas fuisset Murenae, quum in Asia Luculli legatus esset: *Asiam istam refertam et eandem delicatam sic obiit, ut in ea neque avaritiae neque luxuriae vestigium reliquerit.* Primum enim non simpl. *referta* Asia appellari poterat, nullo addito ablativo: tum in primis improprie eadem dicitur *delicata.* Haec donec quis mihi interpretando solvat, corrigendum censebo *refertam et redundantem deliciis.* — Modo ante recte Kayserus tollit *L. Lucullo.*

Quum Murenam laudasset propter ea, quae legatus Luculli in Asia gesserat, addit § 20: *atque haec, quamquam praesente L. Lucullo loquor, tamen, ne ab ipso concessam videamur habere licentiam fingendi, publicis literis testata sunt omnia, quibus L. Lucullus tantum laudis impertit, quantum neque ambitiosus imperator neque invidus tribuere alteri in communicanda gloria debuit.* Ridiculum servatur hoc: *quibus* (i. e. literis publicis) *Lucullus laudem impertit.* Noli dubitare quin *L.* remanserit ex

eo quod scriptum fuerit, *legato*, quem ideo significat, quod mox dicitur, *quantum imperator debuit.* Spero hoc probatum iri Halmio, qui de sua coniectura ediderat *tantum huic laudis.* Quod Ernestus *impertiit* commendavit, refutari spero iis, quae Mnemos. IX. p. 206. disputavi ad Sest. § 102. — Quod statim sequitur § 21, *summa in utroque est honestas*, sic prodit, quasi novum quid dicatur: sed est conclusio e superioribus, et propter extremam syllabam praeced. vocabuli (*debuit*) coniunctionem excidisse puto, ut restituendum sit, *ita summa* —.

Quod statim subiicitur, *quam* (*dignitatem*) *ego si mihi per Servium liceat, pari atque in eadem laude ponam.*, omitto Mommsenii correctionem scilicet, qui *atque* in *aeque* mutabat: sed, quemadmodum supra dixerat, § 15, *paria cognosco esse ista in L. Murena*, conf. § 41, ita h. l. scripsit *parem.* — In fine haec sunt: *sed tamen ego mei satietatem magno meo labore superavi, et tu item* (Codd. *idem*) *fortasse.* Utrumque in his molestum est, et *item* et *idem*: tum abest id, quod ad sententiae explicationem nunc desideratur. Legendum existimo *et tu tui fortasse. Satietas* et *desiderium* eodem modo inter se

opponuntur Att. II. 5. init.

Vix credibile tam constanter in novissimis editionibus servari potuisse illud in eadem § 21, quum dicitur *de dignitate contendas;* quippe multae veteres editiones illud *de* rectissime omittunt. Contendunt duo *de* eo, quod uterque consequi et obtinere studet; sed contendunt sua virtute uterque, et hic sua dignitate, i. e. utrius dignitas praestantior sit.

Non miror neminem attendisse ad haec, quae leguntur § 22: — *qui potest dubitari quin ad consulatum adipiscendum multo plus afferat dignitatis rei militaris, quam iuris civilis gloria.* Profecto dubium non est quin rectissime dicatur *ad consulatum adipiscendum:* conf. Orat. III. §. 136. Offic. I. § 72. Sed illis locis adiectum *adipiscendum* postulabatur, propterea quod actionis sermo erat: neque omitti poterat participium supra § 15, quoniam *gradus consulatus* per se intelligi non poterat: conf. Planc. § 59 sq. Hoc loco autem malim interpolatione liberare orationem, ut legatur *ad consulatum multo plus* —. Sic § 23, *nullam esse in illa disciplina munitam ad consulatum viam:* § 29. *dicendi consuetudo — multum — ad honorem antecellit:* § 37. *quae (res) ambae in*

consulatu Murenae profuerunt: § 38. *adiumenta et subsidia consulatus*: § 41. *egregia et ad consulatum apta provincia*. Quae si probantur (et poteram permulta alia exempla congerere), eadem interpolatione liberanda est § 34 fin. et § 47. Rursus retinendum participium § 53 fin., *spem consulatus adipiscendi*, quoniam non satis erat Catilinam *sperare consulatum*.

In eadem § Bootius iure tollendum censebat *instituis*, in his: *tu actionem instituis, ille aciem instruit*. Tum iterum laudandus Kayserus, qui in § 23. commendat *quod tanto opere diligis*, prae librorum lectione *didicisti*.

Lubens amplector Halmii iudicium, qui in his verbis § 23, *et quoniam mihi videris istam scientiam iuris tamquam filiolam osculari tuam*, excludendum censet verbum *iuris*: sed minus admitto sententiam ita validius enuntiari: una ratio corrigendi petenda ex Latinitate, quoniam perpetuo dicitur, non *iuris scientia*, sed *iuris civilis*: itemque corrigendum *iuris civilis studium*, infra in § 29.

Sulpicio haec dicit § 23: non est id, quod didicisti, praeclarum aliquid: *aliis ego te vir-*

tutibus — omni honore semper dignissimum iudicavi. Quod quidem ius civile didicisti, non dicam operam perdidisti, sed —. Quorsum in his illa coniunctio *quidem?* Non est novnm hoc quod dicit, *ius civile didicisti*, sed modo iam dictum erat. Lego, *quodque ius civile didicisti —.*

Ubi de illis artibus explicat, quae petentibus *populi Romani studia concilient* (ut recte corrigebat Ern. vulgatum *conciliant*, in § 23), primum agit de militari laude, tum haec subiicit § 24; *gravis etiam illa est et plena dignitatis dicendi facultas, quae saepe valuit in consule deligendo, posse consilio atque oratione et senatus et populi et eorum qui res iudicant, mentes permovere.* Non iniuria, opinor, postrema haec (*posse — permovere*) interposita mihi videntur a male sedulo, qui talibus propemodum verbis alibi oratoris facultatem praedicari meminisset, verbi causa Orat. I. § 30 sq., et ita passim. Sed ignoravit is, primum illi Infinitivo *posse* contra morem Latinitatis praemitti *gravis est facultas*, quum postularetur *magnum*, aut *praestabile est:* neque *consilium* commendari huius loci erat, multoque minus eam eloquentiam quae apud iudices valeret. Accedit, quod ip-

sum illud genus eloquentiae, quo nunc opus erat, statim post apte et accurate definitur: *quaeritur consul qui dicendo* cet., quibus verbis priora illa, etiamsi recte enuntiata essent, tautologiae arguerentur.

Dicendi facultatem saepe valuisse dicit in consule deligendo, § 24. *Quaeritur consul, qui dicendo nonnumquam comprimat tribunicios furores* cet. Sed, propter antecedens, *in consule deligendo*, perspicuum est *consul* interpolatum esse. *Quaeri consulem* recte dici, vindicavi Vol. IV. p. 302.

Ubi § 25. negat dignitatem esse posse in scientia iuris civilis, haec addit: *res enim sunt parvae, prope in singulis literis atque interpunctionibus verborum occupatae.* Ipsam *interpunctionem* nusquam appellavit Cicero: neque ea erat huius loci. Scripsisse mihi videtur *interpunctis verborum*, ut Orat. III. § 181. Significat brevissimas clausulas, ut Orat. § 53.

Teneo correctionem quam in § 25. commendavi, primum, ut legeretur, *etiamsi quid apud maiores nostros fuerit in isto studio admirationis*, pro *fuit:* tum, ut nomen proprium abiiceretur in his: *inventus est scriba quidam, [Cn. Flavius,] qui cornicum ocu-*

los confixerit et singulis diebus ediscendis fastos populo proposuerit. Contra, repudio nunc, quod tum mihi placebat, ut *ediscendis* mutaretur in *edendis*, recte ab Halmio reiectum, qui mavult *discendis*. Sed neque *discere*, neque *ediscere dies* quid sit, facile quis explicabit. Non dubitandum erat, quin unice vera lectio esset *ediscendos*, quam quare spreverint novissimi Editores, non intelligo.

Quod toties corrigere aussi sumus, denuo commendandum est in § 26: *quid huic tam loquaciter litigioso responderet ille unde petebatur, non habebat:* imo *quod huic* —.

Non per se fortasse vitiosum est quod dicitur § 28, *triduo me esse iureconsultum profitebor*, sed res et veritas postulat ut hinc illud *esse* absit: quemadmodum Tusc. II. § 12. *si grammaticum se professus quispiam*: conf. Planc. § 102. Hinc diversum est quod legitur in Verr. III. § 217: *quod si suspiciones iniicere velitis, ad plures homines — crimen hoc pertinere; non ego istam defensionem vestram pertimescam, sed me omnium provinciarum defensorem esse profitebor*; id est, quum nunc sim Siciliae defensor, simul ero omnium provinciarum defensor.

Perspicuum est in hac sententia Infinitivum illum abesse non posse.

Quod Lambino placebat, ut § 29, ubi similitudo illa explicatur, sententia sic inchoaretur, *Et ut aiunt in Graecis artificibus* —, idem requirebam in Orat. I. § 73, ut notavi in Scholic. Hypomn. II. p. 66, et aliud exemplum indicavi ad Legg. p. 466: conf. Brut. § 192 et 287. In Planciana quidem § 62. facillime *et* excidere potuisse intelligitur.

Quod de oratore dicitur § 29, *magnus dicendi labor*, *magna res*, *magna dignitas*, *summa autem gratia*, ut reliqua recte se habent, ita vix ferendum est *dicendi magnam rem* esse. Imo, *magna ars*. Eodem modo erratum erat § 30. fin., ubi restituendum *ea prima ars*.

Perperam igitur, pace viri acutissimi dicam, huius loci commendatione utebatur Kayserus, ut obtineret in eadem § 30. paulo ante, in his verbis, *sed nunc de studiis ad honorem dispositis*, *non de insita cuiusque virtute disputo*, corrigendum esse *de rebus*, pro *de studiis*. Quumque ibidem *dispositis* mutandum censet in *potissimis*, (quod nulla commendatione nititur), equidem totum vocabulum interpolatum esse existimo, ex ignoratio-

ne eius consuetudinis, de qua modo ante ad § 22. dixi.

Merito dubitat Halmius an defendi possint haec, in § 30: *omnia ista nobis studia de manibus excutiuntur, simulatque aliqui motus novus bellicum canere coepit.* Non sane *motus* dici potest *bellicum canere*: neque ullus *motus* appellandus erat *novus*. Non tamen satisfacit quod ille excogitavit, *aliquo motu novo*. Equidem tria ille verba deleam, interpolata ab eo, qui putaret illud *bellicum canere coepit* subiecto indigere. — Aliquanto infra ibid., similis interpolatio invasit textum, et tollendum est *in dicendo*, post *odiosus*.

Mithridatici belli magnitudinem demonstraturus, dixerat § 32, *omnibus* regibus, quibuscum populus Romanus bellum gessisset, Mithridatem unum anteponendum esse. Quod autem edi solet, *hunc regem nimirum antepones*, olim corrigebam sic, *hunc regem unum antepones:* nunc amplector id quod Halmius commendat, *hunc antepones:* manifesto duo verba interpolatori debentur. Quod editur, *nimirum*, nihili h. l. est, quod aut in timida affirmatione, aut in dubio etiam usurpari solet: *nimium*, quod ipsum quoque e libris profertur, manifesto prava lectio est, li-

brario debita. Sed continuo subiicit haec: *quem L. Sulla, maximo et fortissimo exercitu, pugnax et acer, et non rudis imperator, ut aliud nihil dicam, cum bello invectum totam in Asiam, cum pace dimisit.* Iure recepta nunc est egregia Niebuhrii coniectura. Sed sollemnis fluctuatio librorum est in hoc, ut vel *cum bello*, vel *cum bello* prae se ferant. Nollem Orellius defendisset *eum*, quod »saepenumero repetitur *is* post relativum:" ex eo exemplo, quo nos ablegat, Philipp. II. § 17, conficiendum erat tum hoc fieri, si post relativum integra quaedam sententia cum verbo interponatur. Contra, Ernestus *cum* delere iubebat. Tamen servandum est, non tantum quod *bello invehi* Latinum non est: rursus *cum bello invehi*, i. e. invadere ita ut bellum inferas, probatur iis exemplis, quae in Mnemos. IX. p. 216. indicavi ad Brut. § 315; sed ita quoque servatur, quam quaesivit, oppositio, *cum bello invectum — cum pace dimisit*, i. e. quamquam non debellatum, pace composita discedere eum passus est.

Debilitant oratoriam vim ea quae mihi interpolata videntur in his, quae ibid. brevi intervallo de Mithridate dicuntur: *qui rex sibi aliquot annis sumtis ad confirmandas rationes et*

copias belli, *tantum spe conatuque invaluit*, *ut se Oceanum cum Ponto*, *Sertorii copias cum suis coniuncturum putaret.* Non tantum asyndeton, quo nihil h. l. ineptius est, arguit verba illa, *Sertorii* — *suis*, ab interprete quodam adiecta esse, sed ipsa tam humilia sunt, ut propemodum insulse splendidis illis, *Oceanum cum Ponto*, subiiciantur. Non pugnabo cum iis, qui talia non sentiant; demonstrari certe vix possunt. Sertorii nomen ne Leg. Manil. § 9 sq. quidem ponitur, adeoque credibile est istic quoque verba *Sertorianae atque Hispaniensis* interpolatori deberi. Propter sequens *putaret*, retinui *invaluit*, prae altero *valuit.*

Quod autem istic dicitur, *ad confirmandas rationes et copias belli*, in his non intelligo quales illae *rationes* sint, et aptius esse credo *opes*, ut § 33, *ut se* — *novis opibus copiisque renovarit.* Idem vocabulum alio modo corruptum est § 36, ubi ex certissima Hotomani correctione legendum erat *opibus*, pro *opera.*

Non intercedo quo minus, inserta partic. *ita*, legatur in § 33, *perfecta ita ab Lucullo haec sunt omnia:* sed quoniam *haec omnia* necessario ad illum *impetum totius*

belli referendum est, non sunt ea a Lucullo *perfecta*, sed *repressa*, ut vel hoc, vel aliud similis sententiae participium reponendum sit.

Vix, opinor, carere possumus nomine proprio, quod per errorem excidisse suspicor, itaque § 33. legendum esse: *expulsus regno tandem aliquando Mithridates, tantum tamen* —.

Populo Romano Murena non cognitus est *in bello*: sed *e bello*: itaque in § 34, legere malim: *Hoc igitur e bello L. Murenam legatum fortissimi animi — cognitum esse defendimus.*

Nobilis locus hic est § 35: *quod enim fretum, quem Euripum tot motus, tantas tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes et quantos aestus habet ratio comitiorum?* Propter nonnullas Codd. discrepantias Halmio videbatur veram fortasse esse lectionem quam servavit Quinctilianus I. O. VIII. 6. 49, *agitationes, commutationes, fluctus:* Kaysero, ut video in Addendis, hoc probabatur, *agitationes commutationesque fluctus.* Recte hic quod genitivum servavit, minus quod singularem numerum praetulit, quoniam in tali sententia perpetuo plurale servatur, ut Milon. § 5. et Planc.

§ 11 et 15: nec Cicero Orat. I. § 3. scripsit se post consulatum *fluctui* obiectum fuisse, sed *fluctibus*. Sed deceptus est ipse Quinctilianus interpolatione, quae inseruit illud *commutationes*, quod ideo improprium est, quoniam dicere non licet *commutari inter se fluctus*, quasi alii aliis ex ordine succederent, ut in *coeli tempestatibus* dicitur Divin. II. § 89; neque illud intelligendum, quod dicitur apud Horatium Ep. II. 2. 176. *unda supervenit undam:* et, quod indicandum erat, inest in eo quod dicitur *varias agitationes*, i. e. modo in hanc, modo in illam partem; nec credibile est Oratorem nunc de *reciprocando motu* in Euripo cogitasse, de quo Nat. Deor. III. § 24. Accedit quod, quum *tantas agitationes* recte dixerit, concedendum non est ut cogitaverit *tantas commutationes*, quae minime magnitudine consentur.

Turbatum est in § 58: *num tibi haec parva videntur adiumenta et subsidia consulatus? Voluntas militum? quae cum per se valet multitudine, cum apud suos gratia, tum vero in consule declarando multum etiam apud universum populum Romanum auctoritatis habet suffragatio militaris.* Concedetur, spero, *voluntatem* non posse

valere multitudine; sed ne *gratia* quidem *valere voluntas* dici potest. Quid porro hoc sibi vult, ut illa *voluntas* dicatur *per se valere?* tamquam si extraneo quodam auxilio confirmata plus valitura esset. Praeterea vitiose iteratur *quum*, et necesse est servari bipartitam sententiam. Corrigendum censeo: — *qui quum semper valent multum apud suos gratia* —. Apparet ita inter se opponi *semper*, et *in consule declarando*, tum *apud suos*, et *apud populum R.*, postremo *gratiam*, et *auctoritatem.*

Quod ibidem recte dicitur *adiumenta consulatus*, commendat, opinor, meam suspicionem in Planc. § 27. corrigendum esse *tanta adiumenta huic honoris fuisse:* sicut ibidem § 23. *quanto adiumento in honore.*

Mox adiiciuntur haec, ibid.: *etenim si tanta illis comitiis religio est, ut adhuc semper omen valuerit praerogativum, quid mirum est in hoc felicitatis famam sermonemque valuisse?* Reponendum censeo, *omenque valuisse: sermo* hac in re *valere* non poterat. Praeterea praestabit fortasse *praerogativae:* utrobique *omen* adiunctum genitivum requirit.

In § 39. haec leguntur, quum modo dictum

esset non esse mirandum populum ludis magno opere delectari: *sed si nosmet ipsi, qui et ab delectatione omni negotiis impedimur et in ipsa occupatione delectationes alias multas habere possumus, ludis tamen oblectamur et ducimur, quid tu admirere de multitudine indocta?* Nescio quid alios; me quidem in his offendit primum, quod *delectationis* vocabulum tam brevi intervallo bis ponitur: tum prorsus inaudita syntaxis, ut quis dicatur *negotiis impediri ab aliqua re*: omnium maxime, quod, quum dixisset se ab omni delectatione impediri, tamen alias delectationes se habere posse profitetur, et nihilominus ludis illis delectari. Occurremus his vitiis, si verba *ab delectatione omni*, ut insulsum additamentum, expungemus. Praeterea delendum *alias*. Postremo initium ita scribendum, *Et si nosmet ipsi*: continuat institutam argumentationem: et vitii origo in aperto est, quum credibile sit in archetypo fuisse *profuisset si nosmet* —.

Assentior Kaysero ex his, in § 43, *in quo meus necessarius fuerit inferior Servius*, tollenti nomen proprium. Sed in eadem §, ubi haec legimus, *et in iis rebus ipsis, quas te magno et forti animo et agere et*

dicere videbam, tibi solitus sum dicere —, non tantum quod brevi intervallo bis *dicere* molestum, sed magis etiam quod *videre Servium dicere* nullo modo ferendum est, omisso inutili additamento legam *forti animo agere videbam.* Quid praeterea *candidatum*, in petitione quidem, *dicere* necesse erat?

In sq. § 44. inter se opponuntur, quae accusatorem, quaeque candidatum decent: *non placet mihi inquisitio candidati, praenuntia repulsae, non testium potius quam suffragatorum comparatio, non minae magis quam blanditiae, non declamatio potius quam persalutatio*, cet. Sed quorsum et cuius generis *declamatio?* Consilio conveniret potius *denuntiatio.* Conf. § 46.

Non praetereundus sine animadversione est hic locus, § 45: *eiusmodi canditatorum amici intimi debilitantur, studia deponunt, aut totam rem abiiciunt, aut suam operam et gratiam iudicio et accusationi reservant.* Non sine causa initio horum verborum Kaysero offensioni est illud *candidatorum*, et hoc certe eleganter excogitavit, fortasse propter *debilitantur*, ablativum postulari; itaque que commendat *eiusmodi vocibus*: ipse malebam *rumoribus.* Sed non reticebo in reliquis

quoque me haerere. Quid opus erat, quum satis esset *amicos*, *amicos intimos* appellari? Neque recte dicuntur *amici debilitari*, recte contra § 43. *amicorum studia debilitari:* neque probandum videtur, ut in eadem sententiae forma de eodem subiecto activa verba (*deponunt*, *abiiciunt*, *reservant*,) cum passivo (*debilitantur*) iungantur. *Studia deponere* recte quidem per se dicitur: sed tanto minus probandum est id, quod ei subiicitur, *totam rem abiiciunt*. Non tantum illud *totam* incertissima nititur auctoritate, ut e v. l. apparet, sed prorsus vitiosum est ut dicantur *amici rem abiicere*, quod vitium non sustuleris corrigendo adiectivo. In postremis Halmius veram formam restitui putabat, si prius *aut* mutaretur in *ut*, monens in hac sententia unam tantum disiunctionem requiri. Equidem eorum tantum disiunctionem recte enuntiari puto, quorum alterutrum tantum verum esse possit: atque rectissime coniunguntur haec, studia quibus adiuvetur petitio deponere, et operam accusationi reservare. Haec omnia qui solvat mihi exspecto, nolo ipse coniecturis locum tentare: sed tamen melius omnia intelligerem, si hoc modo enuntiata essent: *eiusmodi rumoribus amicorum animi debilitantur, ut stu-*

dia deponant, omnemque spem abiiciant, et suam — reservent.

Non dubito quin vitiose omnes libri habeant id, quod editur § 46, *quis enim dies fuit, posteaquam in istam accusandi denuntiationem ingressus es, quem tu non totum in ista ratione consumpseris?* Sed, quid est *diem consumere in aliqua ratione?* Consumimus, credo, diem in aliquid agendo. Hoc restituemus revocatis duabus syllabis amissis, si legemus *in ista comparatione.* Quid sit *comparare accusationem*, cognitum e § 45 et 48.

In § 48. verum vidit Bootius p. 362, quae initio proponuntur suspendi in verbis *non tacente me, maxima*, et, post longiorem parenthesin, instaurari alia forma eandem sententiam, sollemni formula *sed tamen:* itaque sic distinguendum esse totum hunc locum, ut id appareat. Quum ipse mihi hoc dudum notavissem, addideram ideo quoque necessariam esse hanc interpretationem, si vera essent quae (Mnemos. IX. p. 211) in loco Pison. § 46. demonstravissem, pron. *ille* ita poni solere, ut novum quid exspectes quod nunc commemorandum sit: igitur statim ab initio quaeri quae sit *illa plaga*, cuius explicationem in his demum pro-

poni, *quum populum Romanum* cet. Sed in ipsa illa parenthesi extrema quoque corrigenda sunt. Dixerat molestum sibi esse quod ante se et Hortensius et Crassus dixissent: *itaque in iisdem rebus fere versor et, quoad possum, iudices, occurro vestrae satietati.* Sic duo dicuntur, et *iudicum* appellatio inepte in altera parte ponitur: tum ipsa illa conclusio (*itaque — versor*) languida est et puerilis. Scripsisse mihi videtur Orator, *itaque quod in iisdem — versor, quoad possum —*.

Summo iure Halmius haeret in his verbis de Catilina, § 49: *Catilinam interea (videbant) alacrem atque laetum — inflatum cum spe militum, tum collegae mei — promissis.* Nullo modo sane *spe militum* vel explicari vel defendi potest. Ipse substitui vult, *inflatum spe consulatus:* sed hoc ipsum infra suo loco commemoratur sic, *ut ei iam exploratus — consulatus videretur.* Non profiteor me quid scriptum fuerit a Cicerone divinare posse, sed requirerem, post *spe*, alterum ablativum ut *et audacia*, aut *temeritate.*

Aliquanto difficilius est haec sanare in § 49: *etenim te inquirere videbant, tristem ipsum, moestos amicos: observationes, testificationes, seductiones testium, secessionem sub-*

scriptorum animadvertebant, *quibus rebus certe ipsi candidatorum vultus obscurior ei videri solet*. Qui Latine scit admonitus concedet, opinor, neque *observationes* neque *testificationes* huius loci esse. Nec dubito quin, quemadmodum praecedit *videbant*, sequitur *animadvertebant*, sic scripserit *moestos amicos observabant*, eiiciendumque sit ineptum *testificationes*. Quo modo alius alio modo postrema verba corrigere tentaverit, ex Halmii annotatione intelligere licet, nec mihi singulas coniecturas edisserere lubet, quibus Bootii coniectura accessit p. 358. Equidem nihil mutem nisi hoc: *quibus rebus ipse candidatorum vultus obscurior videri solet*. Conf. § 44 fin.

Advertit me quoque id, quod exstat § 50; *meministis enim, quum illius nefarii gladiatoris voces percrebruissent, quas habuisse in concione domestica dicebatur*: sed non statim amplector id quod Kayserus commendabat, ut *iactavisse* legeretur, pro *habuisse*, quum praesertim *conquestiones habitae in senatu* legatur § 72: et Planc. § 58. dicatur *aculeos habere in reprehendendo*.

Propterea quod nil nisi voces illae percrebruissent, in § 51. bis tollendum *rebus*, vitio

incultatum, ut postremo subiiciatur, *quae ad me allata essent*. Ibidem, inexplicabile est *si ita de se meritum esset*, et ex v. l. *cum*, pro *si*, efficiendum *quod*. — In eadem §, quum dicitur *partim — quia nihil timebant*, *partim quia timebant*, oppositio melius prodibit, si legemus in postremis, *quia omnia timebant*, sicut *omnia timere* est Sest. § 40.

In campum deduci, nempe multorum comitatu, est, sicuti constat, candidatorum: conf. § 44. Quomodo igitur probari poterit hoc, in § 52, *quod homines iam tum coniuratos cum gladiis in campum deduci a Catilina sciebam?* Quidni, transpositis casibus, legamus, *quod ab hominibus cum gladiis in campum deduci Catilinam sciebam*. Omisi intempestivam annotationem *iam tum coniuratos*. Tum *in campum* putide iteratur post *descendi*. Halmius mea non improbans, ulterius quam decet progreditur, et praeterea *homines* abiicit. Non puto satis esse *cum gladiis*, pro *armata copia*, et requirit illa locutio aut verbum (*esse cum gladio*), aut substantivum additum.

Duabus de causis probari non possunt haec, quae leguntur § 53. Modo dixerat, quo modo factum, ut omnes, qui Catilinam ab re pu-

blica depellere cuperent, omisso Sulpicio ad Murenam se contulissent: tum sequitur, *magna est autem comitiis consularibus repentina voluntatum inclinatio, praesertim quum incubuit ad virum bonum et multis aliis adiumentis petitionis ornatum.* Ea forma huius sententiae nunc est, ut dicas generalem ea observationem contineri, quamquam in ea ipsa requireres *magna esse solet*, aut simile quid. Sed quid est *magna est inclinatio?* et quid *magna repentina inclinatio?* Omnino absurdum est tali in re *magnam inclinationem* appellare, quamquam recte Philipp. V. § 26. dicuntur *magnae inclinationes temporum.* Quum igitur manifestum sit pergere Oratorem in narrando, equidem existimo sic eum scripsisse: *facta est tum comitiis consularibus repentina voluntatum inclinatio, praesertim quum incubuisset ad virum bonum* cet., quibus postremis Mureuam indicari, apertum est e sequentibus. *Inclinationem incumbere in quem*, legimus quoque in Balb. § 58.

Propter similitudinem vocabuli sequentis excidit Infinitivus eiusdem verbi in his § 56: *nam ut omittam Serv. Sulpicium, quem intelligo non iniuria L. Murenae, sed honoris contentione permotum, accusat pater-*

nus amicus, *Cn. Postumius* cet. Legendum est, — *permotum accusare, accusat* —.

Non sine causa contenderat, non oportere Catonis accusatoris auctoritatem nocere Murenae. Tum § 60. hoc subiicit: *nam si quis hoc forte dicet, Catonem descensurum ad accusandum non fuisse, nisi prius de causa iudicasset, iniquam legem, iudices, et miseram conditionem instituet periculis hominum, si existimabit iudicium accusatoris in reum pro aliquo praeiudicio valere oportere.* Nihil erat metuendum, si quis ipse ita *existimaret*, sed si ita communis opinio et tamquam lex nasceretur. Itaque legendum est *si existimabitur.*

Alia praeterea notanda sunt in eadem § 60. Modo professus erat Orator, se non posse vituperare Catonem, sed *nonnulla forsitan conformare et leviter emendare posse.* Tum subiicit haec e poëta: *non multa peccas; — sed si peccas te regere possum.* Continuat ipse haec: *at ego verissime dixerim peccare te nihil, neque ulla in re esse eiusmodi ut corrigendus potius quam leviter inflectendus esse videare.* Kaysero non satisfacit illud *at ego verissime:* quumque in compluribus Codd. sit *at ego non verissime*, suspica-

tur, tamquam si in archetypo fuisset *vere*, corrigendum esse *at ego non temere dixerim.* Corrumpi mihi videtur ista correctione Ciceronis sententiam, cuius, ut ex reliquis omnibus apparet, hoc consilium erat, ut laudaret Catonem quod perfectus Stoicus esset: tum ipsa oppositio vindicat eam lectionem, quam Halmius edidit, quaeque indicatur coni. *at.* Poëtae verba erant *non multa peccas:* contra, inquit, ego verissime dixerim *peccare te nihil:* adeoque mihi videtur Orator poëtae verba premere voluisse, ut fortasse non *corrigendus*, quod lenius aliquanto est, sed *regendus* dixerit, itaque melius servaverit eandem metaphoram, quam secutus est in *inflectendus.* Solet aliquoties Cicero quae ex poëta citat in aliam sententiam flectere suoque proposito accommodare: conf. Nat. Deor. I. § 12. et Caton. §. 1.

Catonis rationem et consilium aggressurus, primum enumerat insitas eius virtutes; tum addit § 60: *accessit istuc doctrina non moderata nec mitis, sed, ut mihi videtur, paulo asperior et durior quam aut veritas, aut natura patiatur.* Prius *aut* omittunt alii. Sed non tantum perperam aliquando disiunguntur quae coniungenda essent, iterata

part. *et* (ut bene disputat Madvigius ad Fin. p. 254), sed ipsa simplex particula disiunctiva *aut* nonnumquam in vitio est. Hoc quidem loco tantum abest ut *veritas* et *natura* sibi invicem opponantur, ut potius in unam notionem contrahenda sint, et sicut aliquoties apud Ciceronem reperies *res et veritas*, ita nunc dixit *veritas et natura*, i. e. naturae veritas. Aliquanto post, § 65, idem dicit uno *naturae* vocabulo contentus.

In principio huius loci expressi *istuc*, quod Ernestus ediderat ex Cod. Guelph., quum pridem coniecisset *his dotibus*. Hoc autem ipsum nollem ab Halmio susceptum esset, qui frustra suspicatur latere id in plerorumque Codd. vitiosa lectione *his tot*. Scilicet non temere Ciceroni tribuendum est, quod ipsius consuetudo repudiat. *Naturae dotes*, i. e. bona aut dona quae quis a natura habet, numquam appellavit Cicero, neque *ingenii dotes*, aut *animi*. Ovidio libuit postea audaciori hac metaphora uti, et aliquanto post Plinius eam usurpavit Epist. I. 24. 5. II. 17. 29. III. 3. 4; itaque in Latinitatem ea forma loquendi paulatim recepta mansit. Semel tantum, sed alio modo, *dotis* vocabulo in figurata oratione usus est Cicero, Orat. I. § 234, ubi dicit Crassum *verborum*

dote locupletasse et ornasse ius civile, cuius *artem* Scaevola teneret *indotatam et incomptam.* Sed in *verborum dote* genitivus epexegeticus est, ut sit dos, quae verbis, i. e. dicendi facultate, constat: contra, *naturae dotes* intelligantur necesse est, quas natura tribuat, pro quo Cicero usurpare solet *dona naturae*, ut *dona fortunae*, aut, sicut paulo post, *bona a natura* esse dicuntur. Quapropter praestat (quod Halmio quoque in Addendis probari video) istud *tot*, ortum quippe e vitioso initio sequentis vocabuli, abiicere, et tenere *accessit his doctrina* —. Quod Kayserus excogitaverat, *accessit a Stoicis*, abiiciet, spero, ipse, si reputaverit *Stoicorum* nomen, utpote inauditum in iudicio, primum in seq. demum § appellari.

Catonis propria esse dicit divina et egregia bona, quae a natura haberet: tum addit, § 61: *quae nonnumquam requirimus, ea sunt omnia non a natura, verum a magistro.* Quid est illud, *requirere* ea, quae a magistro habebat Cato? et quare *nonnumquam?* Nihil me in illis offenderet, si probari posset, quod Ernesto videbatur, *requirere* idem esse quod *reprehendere:* in Planciana contra § 62. *reprehendere* poni videtur pro *requirere.*

Nescio quid aliis placeat: equidem non utor additamento quo haec augentur in § 61 : *nos autem , qui sapientes non sumus , fugitivos , exsules , hostes , insanos denique esse dicunt.* Abiiciantur haec duo postrema , quemadmodum simili additamento liberare me memini (*putaverunt*) locum Nat. Deor. I. § 2. et recte *denique* claudit sententiam. Diversum est hoc quum dicitur § 63 , *nostri autem illi a Platone et Aristotele — aiunt, apud sapientem valere aliquando gratiam* : nam *aiunt* i. q. affirmant. Sed , quum perspicuum sit h. l. nota illa Stoicorum paradoxa indicari , excludatur hinc *fugitivorum* mentio alienissima ab hac disputatione : non dubito quin *servos* scripserit Cicero : conf. Parad. V.

In § 62 bis interpolatum est. *Haec homo ingeniosissimus , M. Cato , auctoribus eruditissimis inductus arripuit , neque disputandi causa , ut magna pars , sed ita vivendi.* Abiiciatur tum *M. Cato* , tum *ut magna pars.* Dicere licebat , *ut multi , ut plerique :* sed *magna pars* requirebat additum genitivum.

In fine § 64 haec dicuntur : *quod atrociter in Senatu dixisti , aut non dixisses aut seposuisses aut mitiorem in partem in-*

terpretarere. Misere haec turbata esse arguit varietas lectionis: itaque viri docti emendare conati sunt. Postremo accessit Kayserus, qui hoc excogitabat, ut pro *aut seposuisses* legeretur *aut si pronuntiases* vel *professus esses*, tum Halmius, qui *aut si proposuisses* commendat. Neutra ratione tollitur id, quod vitiosum esse in hac enuntiatione existimo, ut tria distinguantur, quum illud *aut non dixisses* unum tantum sibi opponi postularet: neque hoc ferendum, ut post *dixisses*, in altero membro, mutato tempore, dicatur *interpretarere.* Equidem suspicor, quod saepe factum, hoc quoque loco accidisse, ut eiusdem vocabuli iteratione neglecta truncata sit oratio et pessumdata sententia. Perspicuum demum erit, opinor, hoc: *aut non dixisses, aut si dixisses potuissemus mitiorem in partem interpretari.*

In § 65. non fortasse, ut Bootio videbatur, sed certissime legere praestat *nihil gratiae concesseris*; quod in eadem figura sequitur *resistito.* In iis quae statim sequuntur: *misericordia commotus ne sis. Etiam; sed tamen in dissolvenda severitate est laus aliqua humanitatis*, Halmius offenditur verbis *in dissolvenda severitate*, itaque haec tol-

lenda censet, ideo quoque ut eadem, quae in ceteris responsis, brevitas maneat, tum quod *dissolvere severitatem* vix Ciceronianum sit. Mihi videtur, sicut *severo* opponitur *dissolutus* (ut aliquoties in Sullana), et *humanitas severitati*, ita tam recte dici *dissolvere*, quam remittere, relaxare, aut mitigare severitatem. — Tum in § 67 praestabit *quod id defendam*, prae eo quod editur *quod idem defendam*.

Speciosa in primis correctio est, quam Halmius commendat ad illustrandum locum subobscurum, in § 67, quem Bootius quoque tractavit, l. c. p. 354. Verba haec sunt, post verba e Scto recitata: *ergo ita Senatus si iudicat, contra legem facta haec videri si facta sint, decernit, quod nihil opus est, dum candidatis morem gerit*: in quibus Halmius corrigit *dum candidatus* —, quod ideo accipiendum esse existimo, quod vix probandum est ut Senatus dicatur illo Scto *morem gessisse candidatis*. Sed ne hoc quidem probandum, ut Senatus primum dicatur *ita iudicare*, tum addatur eum *decernere quod nihil opus est*. Videtur mihi haec potius ad Catonem reprehendendum dixisse Orator, quod, credo, obtinebimus si legemus, *tu decernis* —,

quemadmodum reliqua quoque ad Catonem refutandum dicta sunt, quum is *ambitum accusaret*, sed nihil *afferret ad iudicium*, nihil *argueret*, § 67. init. Statim quod sequitur in § 68, *est igitur ridiculum — quod nemini dubium potest esse id iudicare*, Bootio offensioni erat propter extremum verbum *iudicare*, quod ei mutandum videbatur in *indicare*. Ego requiri puto *id vindicare*.

Quum demonstrasset Scto de ambitu nihil decerni contra Murenam, sed incertum relinqui factum sit nec ne, addit § 68: *quare doce a L. Murena illa esse commissa: tum egomet tibi contra legem commissa esse concedam. »Multi obviam prodierunt de provincia decedenti consulatum petenti." Solet fieri. Eccui autem non proditur revertenti?* Cato, si istud obiecit, inepto illo additamento abstinuit, *consulatum petenti*, quae verba sine mora expungenda sunt, idque tanto magis, quod paulo post a Cicerone respondetur *tali viro advenienti, candidato consulari*, quod de industria ibi additur. Nondum purgatus locus est. Nam ista, *Eccui autem* —, ipsa inchoant responsum, ipsaque coni. *autem* nullo modo fert ut praecedat *solet fieri*, quo praesertim prorsus idem significatur: itaque il-

lud tollatur. Postremo quis admonitus feret illud *revertenti?* quod verbum, ut subst. *reversio*, non attinet demonstrare in quam sententiam usurpari et possit et soleat, numquam, certo scio, de eo qui de provincia *decedat*. Interpolatum est.

Quum refutat crimen illud, Murenae obiectum, multos obviam prodiisse de provincia decedenti, omniaque ista de more et consuetudine fieri demonstrat, sic concludit § 69: *hoc dico, frequentiam in isto officio gratuitam non modo dignitati ullius umquam sed ne voluntati quidem defuisse.* In postremis verbis recte intelligimus significari, fieri id semper solere, quod eius, qui decederet, *dignitas* postularet, idque ipsum valere ad illustrandam eius *dignitatem:* cf. Planc. § 21. Similem interpretationem *voluntati* conciliare non licebit, etiamsi (quod vix probandum) sumamus eum qui revertatur *velle* solitum esse hanc frequentiam. Sed, sicuti haec satisfaciebat eius *dignitati*, ita si hanc minus curaret, esse poterat *voluptati*, tantum ut ea delectaretur: atque sic istud corrigendum esse arbitror. Ita *dignitas* et *voluptas* distinguuntur supra § 40. init., quemadmodum *praesidium* et *voluptas*, Planc. § 82. Contra in Oratore

ligentiam, *Servi*, *coniecta sunt*: in quibus assentior verba *item* et *a multitudine* interpolata esse ab eo qui meminisset supra § 69. *multitudinem* obiectam esse, sed a Catone, non a Servio. Illis igitur omissis Halmius probabiliter corrigit, — *prandiorum crimina tua nimia diligentia*, *Servi*, *conlecta sunt*.

Explicari non posse sentit Halmius, quum de populo Romano dicitur § 76, *odit privatam luxuriam*, *publicam magnificentiam diligit*: — *distinguit rationem officiorum ac temporum*, *vicissitudinem laboris ac voluptatis*. Non apparere putat vir praestantissimus quid h. l. sit *ratio*, nec quo spectet oppositio aut disiunctio *officiorum* et *temporum*. Si attendisset ad postrema, in quibus animadvertere licebat neque *vicissitudinem laboris* per se dici, neque *vicissitudinem voluptatis*, sed *viciss. laboris ac voluptatis*, i. e. laborem voluptate excipi, et contra, itaque utriusque vicissitudinem exsistere, suspicari potuisset eandem loquendi formam servari in his, *distinguit rationem officiorum ac temporum*. Nulla *ratio officiorum* per se intelligitur, nec *ratio temporum*; sed *officiorum ac temporum ratio* ita *distinguitur*, ut agnoscatur aliis temporibus alia officia postu-

lari, itaque inter utraque servari quandam *rationem*, quam hodie relationem appellamus.

Facile erat, § 77, *quid posteaquam es designatus*, ex ipsa var. lect., quum alii *quid*, alii *quod* exhibeant, conficere id, quod ipsa ratio suadere potuerat, legendum esse, *quid quod posteaquam* —. Sed in iisdem pronominibus erratur, quum § 81. e libris editur: *atque ad haec mala, iudices, quid accedat aliud, non videtis?* Imo, *quod aliud* sc. malum.

Hoc quoque mirari soleo, tam patienter viros doctos tulisse haec in eadem § 77: *quare nec plebi Romanae eripiendi fructus isti sunt ludorum, gladiatorum, conviviorum, quae omnia maiores nostri comparaverunt*. Res longe diversae *comparantur*, et absurdum est, si de maioribus scilicet dicitur, eos *ludos et convivia comparasse*. Corrigendum: *comprobaverunt*.

Ex emendationibus, quibus Madvigius unum alterumque locum Murenianae laborantem curare operam dedit, facillima, credo, videbitur ea, qua verba haec, in § 83. quae edebantur, correxit (ad Fin. p. 224, quamquam Klotzius eam correctionem praeceperat:) *est tuum, M. Cato, qui non mihi, non tibi, sed pa-*

triae natus es, videre quid agatur, ita, ut abiiceret prius *non*, et quod propter similitudinem sequ. voc. aliud excidisse putabat, ut coniicio, locum sic expleret, *qui mihi non tibi, sed patriae natus esse videris, videre quid agatur.* Primum deserendum est perversum doctissimorum etiam virorum institutum, qui eiusmodi dictorum auctoritatem a Platone, aut alio quocumque repetunt: satis, nisi fallor, ingenio ipse movebatur Cicero ut talia excogitaret, et apte enuntiaret; id quod Zumptii quoque causa dicendum est, qui, in novissima editione Murenianae, ad hunc locum in eodem versatur errore, nec obliviscor Schaeferi, qui, ante multos annos, in Apparatu Crit. ad Demosthenem Vol. I. p. 755. salutarem mihi castigationem adhibuit, quum in idem vitium incidissem. Sed illa ceorrectio si probatur, aliquanto minus quam decebat Orator diceret, quoniam nihil aliud ex illis verbis oritur nisi hoc, »equidem puto te non tibi, »sed patriae natum esse'.' Non ita solet Cicero talia iudicia attenuare. De Pompeio, Brut. § 239, *vir ad omnia summa natus:* de Metello, Coel. § 59, *qui se natum huic imperio putavit* Equidem crediderim ista *non mihi* ex errore librarii remansisse, qui, ut fit, non deletis illis, statim veram lectio-

nem subiecerit, *non tibi.* Et post tot luculenta iudicii sui testimonia quae Cicero tribuit egregiis Catonis virtutibus, recte nunc mihi dixisse videtur haec: *M. Cato, qui non tibi, sed patriae natus es*, non item, si ita *sibi videri* dixisset. Catonis esse dicit retinere consulem Murenam, § 83: quibus haec subiunguntur: *quamquam huiusce rei potestas omnis in vobis sita est, iudices: totam rem publicam vos in hac causa tenetis, vos gubernatis.* Ex ipsa huius loci distinctione apparet editorem non agnovisse argumentationem quae istic contineatur: et, quum per se illud *quamquam*, in illa serie sententiarum, alienissimum sit, facile corrigemus, *quumque huiusce rei potestas omnis in vobis sita sit, totam remp.* cet. Simile quid dixerat § 2: tum *tenetis* mutandum in *sustinetis*, quod in ea re solemne est.

In eadem § 83, ubi edi solet, *petunt enim rationes illius (Catilinae), ut orbetur auxilio res publica, ut minuatur contra summum furorem imperatorum copia* —, corrigendum *contra suum furorem*, secundum nonnullos libros, quod, etiamsi fortasse recte dicatur per se *summus furor*, (de quo dubito), tamen id ab huius loci consilio alienum est.

Non aggrediar locum lacunosum § 85. coniecturis explere. Sed in ipso initio particula mihi excidisse videtur: *Sed quid tandem fiet, si haec elapsa de manibus nostris in eum annum, qui consequitur, redundarint? Unus erit consul* — Immo, *si unus erit consul.*

Latinum non esse puto, quod servari video in § 86, *pro mea summa et vobis cognita in re publica diligentia*, ne *in rem publiblicam* quidem: sed requiritur genitivus obiectivus, *rei publicae diligentia*, sicut dicitur *diligentia legum, officiorum*, atque ita *dignitatis commodidatisque diligentia*, Offic. I. § 138.

Minus eleganter iunguntur haec § 87. *sit apud vos modestiae locus, sit demissis hominibus perfugium, sit auxilium pudori.* Qui destinatus erat habitus huic sententiae, eum recuperabit si legemus *demisso animo.* Sed initio quoque huius § vitium tollendum est, quo oratio deturpatur. Verba haec sunt: *nolite — iudices, hac eum re, qua se honestiorem fore putavit, etiam ceteris ante partis honestatibus — privare.* Nihili est *hac re*, neque id, quod voluit Cicero, illo substantivo designare potuit; quare coniectura quoque Orellii, *hac eum cum re*, improbanda est. Illud *re* remansit ex eo vocabulo, quod

restituendum est, scripsitque Cicero, *hoc eum cum honore, quo se* —: et conf. Sull. § 90, *quum huic omnia cum honore detracta sint.*

Nisi fallor, isto modo aptius loco corrupto consuletur, quam quo modo nuper Halmius commendabat, ut abiecto *re*, legatur *cum hac eum qua se* —, ita ut *hac honestate* intelligatur ex sequ. *honestatibus*. In quo ne hoc quidem omittendum est, ipsum illud *honestatibus* ex ridicula interpolatione ortum esse; si quidem neque *honestates* appellantur ut sint *honores*, et tam perversum est si dicas *privare* quem *honoribus* quos dudum ante gessit, quam singulari numero *privare quem honestate*. Quare liceret Ciceroni in Sest. § 109. *honestates* appellare, satis perspicuum est: in hoc Murenianae loco expungatur illud *honestatibus*.

In § 89. sic editur: *quanta autem perturbatio fortunae atque sermonis, quod quibus in locis paucis ante diebus factum esse consulem Murenam nuntii literaeque celebrassent* —, *repente exsistet ipse nuntius suae calamitatis?* In quibus *quod* vitiosum est, corrigendumque *quum quibus* —, id quod Halmio quoque probari video.

INDEX.

A.

(IV. § 3) V. 4. (IV. § 13.) V. 8. (IV. § 24.) V. 11.

(*pro Murena.* § 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 28. 29. 30. 32. 33. 34. 35. 36. 39. 43. 44. 45. 46. 48. 50. 51. 52. 53. 56. 60. 61. 62. 64. 65. 67. 68. 69. 71. 73. 76. 77. 83. 85. 86. 87. 89.) V. 304—358.

(*pro Sulla.* § 52.) V. 61.

(*pro Archia.* § 20.) IV. 189.

(*pro Sestio.* § 1. 2. 4. 5. 9. 10. 12. 13. 14. 15. 17. 18. 19. 21. 24. 25. 26. 29. 32. 33. 34. 35. 37. 38. 40. 41. 43. 44. 45. 47. 50. 53. 54. 55. 56. 59. 63. 66. 67. 69. 71. 72. 73. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 86. 87. 89. 91. 92. 93. 95. 97. 99. 100. 102. 103. 105. 106. 107. 110. 112. 114. 117. 118. 120. 121. 122. 124. 128. 129. 130. 131. 133. 134. 135. 137. 138. 139. 140. 141. 143. 146.) I. 49—136. — (§ 11.) V. 32.

(*in Vatinium.* § 2. 7. 8. 11. 16. 18. 20. 22. 36.) V. 212—220.

(*pro Coelio.* § 1. 3. 5. 6. 8. 10. 11. 15. 16. 18. 20. 25. 27. 29. 31. 36. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 49. 52. 61. 64. 65. 66. 67. 70. 72. 73. 74. 77. 78.) III. 285—310. — (§ 6.) IV. 290.

(*in Pisonem.* § 1. 2. 3. 6. 9. 10. 11. 13. 18. 19. 27. 28. 30. 32. 33. 34. 43. 45. 46. 48. 50. 53. 55. 59. 62. 64. 68. 69. 72. 74. 75. 76.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

U. V.